BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
20 B
50

17

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

28. 2. 6.
28 D 7
24 D 6

13-14 a 8

VINCENTII

CABOTII, TOLOS.

ANTECES. AVREL.

VARIARVM IVRIS PVBLICI, ET PRIVATI DISPVTATIONVM LIBRI DVO.

Ad Illuſtriſſimum Senatus Toloſani Principem, PETRVM FABRVM SAN-IORIVM.

BIBL. SEM. COLL. IHS



Ex legato Ill.mi Coccini

PARISIIS.
In Officina CLAVDII DE MONSTR'OEIL,
ET
IOANNIS RICHERII.
CIϽ. IϽ. IIC.

Cum Priuilegio Regis.

PETRO FABRO SAN-IORIO, SACRI REGII CONSISTORII Adſeſſori, & Senatus Toloſani Primo Præſidi, Nobiliſs. Æquiſs.

VINC. CABOTIVS. I.C. S.

Q*VAM primùm mihi nunciatū eſt (*PRÆSES MAXIME*) te ad principem magiſtratum Senatûs Toloſani aſſumptum eſſe; cœpi dubitare, cuinam magis gratulādum eſſet; an tibi, qui tanto magiſtratu à Rege Chriſtianiſſimo donatus eſſes; an verò ampliſſimæ prouinciæ, quæ tam iuſtum, &*

æquum iuris moderatorem nacta eſſet. Nam, etſi præclarum eſt in luce clariſsimæ prouinciæ verſari; & auguſtiſſimo Senatui, qui tot grauiſſimis & doctiſſimis Senatoribus abundat, præſidere; clauumque reipublicæ, & iuris diſtribuendi lancem tenere: atque etiam his omnibus præclarius, ad tantam dignitatem, iudicio tanti Principis euectum eſſe: tamen permulta ſunt, quæ omnes fateri cogunt, non tam nouum tibi delatum honorem, quàm vetus quoddam debitum fuiſſe perſolutum. Primùm enim ex ea Gente ducis originem, quæ & nobiliſſimis olim ad exteras nationes legationibus præclarè functa eſt, & in conſilijs Principum ſæpe aſſedit, togatáſque dignitates, cùm Pariſijs, tum Toloſæ, non plures ambiuit, quàm geſſit. Deinde, quæ propria tua laus eſt, cùm ad ſummos honores ſummis virtutibus perueneris; contigit, vt his omnibus, à quibus ad maiores aſcenſus eſſe ſolet, gradatim per-

fungereris. Neque tamen tantùm tibi delati honores gloriæ, & exiſtimationis parauerunt, quantùm te in oculis Franciæ noſtræ, & in auribus cæterarum gentium, & nationum, ſumma in iure Romano eruditio poſuit. Te comite Cuiacius immenſum illud iter emendandi, & illuſtrandi iuris peragrauit. Non ſæpius te per inuia, & nullius antè greſſibus protrita loca perduxit, quàm tu ei obductos calles, & præcluſas ſemitas aperuiſti. Et ille quidem induſtriam ſuam iuris Romani interpretãdi, & locupletandi finibus incluſit: Tu verò omnem antiquitatem, & ipſam Reginam ſcientiarum Theologiam latè peruagatus es. Eleganter Pindarus in Iſthmijs,

οὔ τοι τετύφλωται μακρὸς
μόχθος ἀνδρῶν.

Citò emicuerunt virtutes tuæ, earúmque comites, ac miniſtræ ſcientiæ, in te vno, quaſi in aliquo ſcientiarum orbe, magnis tuis laboribus congregatæ: quæ defun-

ctis antè Regibus perſpectæ, & cognitæ, in oculos Chriſtianiſſimi Regis noſtri non potuerunt non incurrere. Quamobrem Occitanæ magis prouinciæ gratulandum eſt, quæ votorum ſuorum compos facta, te ſuis gubernaculis præſidente, beata erit, ſi tuis conſilijs paruerit. Gratulandum Toloſæ, quę tantò maiores fructus ex te capiet, quantò maiorem nobis preſentia bona, quàm abſentia, vtilitatem adferunt. De Toloſa nunc mihi prædicare libet, quæ de Corintho Pindarus,

ἐν τᾷδε δ' εὐνομία ναίει, κασίγνη-
ταί τε, βάθρον πολίων,
ἀσφαλὴς δίκα, καὶ ὁμό-
τροπος εἰράνα, ταμίαι
ἀνδράσι πλούτου, χρύσεαι
παῖδες εὐβούλου θέμιτος.

Antea diſſociatis ciuium animis, res in ea turbidæ & impacatæ fuerunt: poſthac auctoritate tua in concordiam reductis, ciuiles omnes motus perpetuò conticeſ-

tent. Iam longum tempus erat, quo ampliſſimus ille Conſeſſus Principem ordinis ſui deſiderabat: te verò vnum maximè & optabat, & deligebat. Sed quemadmodum longam noctem Poetæ interceſſiſſe fingunt, antequam Hercules orbi conciperetur, qui monſtris terræ domitis, magnam in orbe pacem conſtituturus erat: ſic longum tempus noctis interceſſerat turbulentarum rerum, antequam tu prouinciæ noſtræ illuceſceres cum ſummo imperio. Ex quo omnia fauſta fortunatáque omnibus liceret auſpicari. Pluribus tibi gratulandum foret, vir ampliſſime, verùm hęc tantùm, in ingreſſu huius honoris tui, quo librum hunc primum Diſputationum iuris (perexiguum munus) tibi offero, libuit præfari; vt conſtantis mei in te officij, & perpetuæ obſeruantiæ ſigna non obſcura ederem. Antequam enim optatus ille nuncius dignitatis tuę adueniſſet, eum librum tibi adſignare, & inſcribere parauẽram,

Arbitror te grato animo eum exceptu-rum. Sed eſt aliquid, quod ipſe à te ſummo-pere deſideret. Non ignorat ſe multorum iudicijs expoſitum: quæ enim in pu-blicum emittuntur, eruditorum iudi-cijs, & imperitorum calumnijs ſubiacent. Scit nemini quidem datum eſſe vt omni-bus placeat: ſed quorundam iudicia non magnifacienda, aliorum verò valde refor-midanda exiſtimat. Hic igitur te ab exa-cto tuo, & limato iudicio, ad æquitatem & humanitatem cupit deflectere. Quo-niam vix poſſunt qui ſummæ eruditionis ſunt, de aliorum operibus bene æſtimare, niſi qui ſuorum ſcriptorum iudices ſunt, alienorum ſint arbitri; qui non tam legi-bus, aut iure regi, quàm æquitate, & hu-manitate commoueri ſolent. Vale. Aure-lianis. Kal. Octob. CIƆ.IƆ. IIIC.

INDEX CAPITVM
vtriuſque libri Diſputationum Iuris publici, & priuati.

LIBER I.

CAP. I. *Cur propoſita diuiſione Iuris in publicum, & priuatum, omiſſa ſit tractatio Iuris publici.* pag. 1.

II. *De antiquis varijs formis eligendorum epiſcoporum.* 4.

III. *De poteſtate Metropolitani & comprouincialium Epiſcoporum, in eligendis Epiſcopis.* 6

IIII. *De Iure cleri, & populi, in eligendis Epiſcopis.* 9.

V. *De nominatione, & auctoritate Regia, in eligendis Epiſcopis.* 11.

VI. *De confirmatione electionis Epiſcoporum.* 15.b

VII. *Regem non rectè ſummum Magiſtratum appellari.* 19.

VIII. *Duas eſſe ſpecies Regni, quod electione defertur, & de priore eius ſpecie.* 21.

IX. *De ſecunda ſpecie Regni, quod electione defertur.* 37.

X. *Duas eſſe ſpecies Regni, quod ſucceſſione de-*

fertur, & de priore eius ſpecie. 38.

XI. *De ſecunda ſpecie Regni, quod ſucceſsione defertur.* 47.

XII. *De Regnis, quæ ſuperiorem alium Regem, vel Populum obſeruant.* 42.

XIII. *Vtrum Regnum Franciæ ſuffragijs, an verò ſucceſsione deferatur.* 46.

XIIII. *Quæ differentiæ ſint inter regnum, quod hereditario iure; & illud, quod lege, vel conſuetudine defertur.* 53.b

XV. *De ſucceſsione fæminarum in regnis.* 57.

XVI. *De veteri lege Francorum Salica.* 61.

XVII. *Ius Succeſsionis regni in fæminis, & deſcendentibus ex fæminis, perſæpe violatum; ne populus externum Regem haberet.* 65.

XVIII. *An ea lege qua fæminæ excluduntur à regni ſucceſsione, excludantur etiam à regni procuratione, & regimine.* 67.

XIX. *De ſucceſsione fæminarum in feudis, & alodijs.* 68.

XX. *Quando fæminæ, aut deſcendentes ex fæminis, agnatis in ſucceſsione regni, vel feudi præferantur.* 72.

XXI. *De ſucceſsione eorum, qui ex latere per fæminas coniunguntur, in regnis, & feudis.* 73.

XXII. *De effectu naturalis obligationis inter patrem, & filium, vel inter filios, qui in eiuſdem patris poteſtate ſunt.* 76.

XXIII. *Adquiſitione hereditatis naturalem obligationem confundi.* 81.

XXIIII. *Adquiſitione peculij naturalem obligationem confundi.* 83.

XXV. *Cur poſt contractam emptionem, publicato fundo vendito, periculum venditoris ſit, non emptoris.* 85
XXVI. *An ſit aliqua differentia, inter ſcientem, & ignorantem locatorem, qui alienum prædium locauit.* 87.
XXVII. *Cur maritus cogitur promittere ſe dotem reſtituturum alteri, quàm vxori.* 89.
XXVIII. *An compenſare pater videatur, qui dotem, quam à genero exegit, filiæ legat.* 90.
XXIX. *Re hereditaria, hereditario ſeruo pignori datâ, poſſeſſionem amitti.* 96.
XXX. *De concurrentibus actionibus.* 97.

LIBER II.

CAP. I. *Iuris ciuilis Romanorum ſcientia, quantùm apud alias gentes, & nationes proſit, ad iuris publici & priuati diſtributionem.* 103
II. *Quarum rerum cognitio neceſſaria ſit politico, & ciuili viro.* 109
III. *De poteſtate Senatûs Romani temporibus Reipublicæ.* 111.
IIII. *Quòd non omnis ſtatus Reipublicæ ſimplex ſit, ſed ſit aliquis mixtus.* 114.
V. *De Imperio mero.* 117.
VI. *Cur pœnæ arbitrariæ factæ ſint.* 121.
VII. *An Imperium merum demandari poſſit.* 122.
VIII. *De Imperio mixto.* 126.
IX. *De Iuriſdictione.* 129.
X. *De conuentionibus publicis, vt diſtinguendæ ſint à priuatis.* 131.

XI. *De conuentionibus publicis, quæ fiunt inter Principem, & ſubditos.* 133.

XII. *De conuentionibus publicis, quæ fiunt de regnis, & regnorum ſucceßione.* 135.

XIII. *De conuentionibus publicis inter Principem, & non ſubditos.* 137.

XIIII. *Quando Principes, vel Populi fœderibus adſtringantur, commutato reipublicæ ſtatu.* 140

XV. *De conuentionibus publicis, quas Duces belli ineunt.* 141.

XVI. *Duos eſſe caſus Subſtitutionis. Vnum alterum continere.* 143.

XVII. *Vtrum expreſſa pupillaris facta poſthumo, contineat tacitam vulgarem.* 144.

XVIII. *Vtrum tacita pupillaris matrem excludat à ſucceßione filij impuberis.* 146.

XIX. *Non rectè ſpeciem ſubſtitutionis conſtitui, quæ compendioſa vocetur.* 148.

XX. *An Subſtitutio à milite facta vltra pubertatem valeat iure directo, an verò in vim fideicommiſſi tantum.* 150.

XXI. *An Subſtitutio à pagano facta vltra pubertatem, valeat in vim fideicommiſſi.* 155.

XXII. *An nudum nomen ſui heredis confirmet tabulas pupillares.* 156.

XXIII. *Quatenus ſuus, vel extraneus heres hereditatem tranſmittat ad ſucceſſores ſuos.* 161.

XXIIII. *Non fieri, in ſpecie l. ſi iactum retis D. de actionibus empti, æſtimationem eius quod intereſt.* 164.

XXV. *Differentiam eſſe, an venditor nihil de tributo dixerit, an verò minorem dixerit tributi*

quantitatem. 165

XXVI. *Vtrum actio ex empto competat emptori aduerſus venditorem, quò rem ſibi traditam, & nondum iudicio euictam, venditor à nexu pignoris liberet.* 168.

XXVII. *Vtrum actio ex empto de euictione detur, ſi res quæ data eſt in ſolutum, euicta fuerit.* 169.

XXVIII. *Quatenus periculum alluuionis venditor præſtet.* 172.

XXIX. *Noua ratio conciliandæ l. fin. D. de condict. cauſa data cum l. Naturalis, §. 1. D. de præſcriptis verbis.* 174.

XXX. *De origine Feudorum.* 177.

INDEX LEGVM EXPOſitarum in his libris.

EX PANDECTIS.

L. 1. §. huius ſtudij. D. de Iuſtitia & Iure. 1. a.
L. 2. §. his legibus latis. D. de origine iuris. 104. a.
L. 1. D. de officio eius cui mand. eſt iuriſd. 122. b.
L. Imperium. D. de Iuriſdictione. 120. b. 126. a. 128. a. 128. & 129.
L. Conuentionum D. de pactis. 130. b.
L. Frater. D. de condict. indebiti. 76.
L. fin. D. de condict. cauſa data. 173. b. & 174.
L. Eleganter, D. de pigneratit. actione. 171. a.
L. Si iactum. D. de actionib. empti. 163. b.
L. Si Sterilis. §. 1. eod. 165. a.
L. Creditor. §. prædium eod. 168. a
L. 9. Si quis domum, in princip. D. locati. 87. a.
L. Si fundus, eodem. 84. b.
L. 15. & 16. D. de euictionib. 173. a
L. 2. in princip. D. ſoluto matrim. 88. b
L. Si cum dotem, §. ſi pater, eod. 90. a.
L. Mæuia. §. fundus, eod. 169. a.
L. Si filius. D. de vulgari. 160. a.
L. Centurio, eod. 147. a. & 154. a
L. Quæſitum D. de adquir hered. 158. a.
L. filius, eod. tit. ibidem.
L. Iulianus, eod. tit. ibidem.

L. Tita. §. qui inuita, de legat. 1. 94.b.
L. Qui à ſeruo. D. de obligat. & actionib. 95.b.
L. Plura, eod. 98.b.
L. Nunquam. D. de reg. iuris. 100.b. & 102.b.

EX CODICE.

L. 1. C. de rerum permutat. 171.a.
L. fin. C. de Inſtitut. & ſubſtit. ſub condit. factis. 146.b.
L. Precibus. C. de Impuberum & alijs ſubſtitutionibus. 147.a. & 151. & 153.
L. Cum in antiquioribus. C. de iure deliberandi. 162.a.
L. 4. & 5. C. de euictionib. 167.b. & 169.b.

EX NOVELLIS.

Nouella. 123. 7.b.

CANONES EXPOSITI.

Can. Si per ordinationem 63. diſtinct. 8. Concil. Pariſ. 13.a.
Can. Mos antiquus, 65. diſtinct. 6. Niceni Concil. 15.a.

VINCENTII CABOTII TOLOSATIS, IN ACADEMIA AVRELIAnenſi Anteceſſoris, Variarum Iuris publici, & priuati, Diſputationum liber primus.

Cur propoſita diuiſione Iuris in publicum, & priuatum, omiſſa ſit tractatio Iuris publici.

CAPVT I.

Duplex ius, publicum, & priuatum. Priuati iuris veteres Iuriſconſulti periti, non publici. Alia ſcientia iuris priuati, alia publici. Omnibus in vſu neceſſaria tractatio iuris priuati, non publici. De priuato non de publico tractatum ex profeſſo in libris iuris.

VLPIANVS in l. 1. §. huius ſtudij. D. de iuſtit. & iure, ſtudij iuris duas poſitiones, id eſt ſpecies, vel partes conſtituit: vnam Iuris publici, alteram Iuris priuati: & omiſſo tractatu Iuris pu-

blici, poſtquam id in ſacris, ſacerdotibus, & magiſtratibus conſiſtere dixit, de priuato tractat, quod tripartitum conſtituit, naturale, gentium, ciuile. Vbi vulgò ſolet quæri, cur omiſſa ſit diſputatio de Iure publico, quod priuato præſtantius eſt: Reſpondent noſtri in libris iuris, non ſolùm Ius priuatum, verùm etiam & publicum contineri. Nam primus liber Pandectarum, de magiſtratibus eſt: primus liber Codicis, de ſacris, ſacerdotibus, & magiſtratibus. Itaque non omittitur, ſed intermittitur tantùm tractatio Iuris publici; quæ denuo ſtatim aſſumitur, poſtquam propoſita eſt diuiſio Iuris priuati in naturale, gentium, ciuile. Quidam recentiores, ex eorum numero, qui doctiùs, quàm antea ſolebat, Ius ciuile Romanorum interpretati ſunt, ingenuè fatentur veteres Iuriſconſultos fuiſſe peritos Iuris priuati, & imperitos publici; & neglexiſſe Ius publicum, quòd parum videretur eius cognitio ſingulis neceſſaria, & quòd raro de iure publico interrogarentur. Et veriſſimile exiſtimo, vix eos vnquam de Iure publicò interrogatos: quantum enim, & quàm præclarum fuiſſet Iuriſconſultorum munus, ſi de Iure publico aliquando inter-

rogari conſueuiſſent? Fuerunt tamen nonnulli Iuriſconſulti periti vtriuſque Iuris, publici, & priuati: cuiuſmodi fuit Tubero, quem doctiſſimum habitum Iuris publici, & priuati; & complures vtriuſque operis libros reliquiſſe refert Pomponius in l.2.§.poſt hos quoque.D.de origine iuris. Quemadmodum ex diuerſo fuerunt alij viri periti Iuris publici, non ita verò priuati: vt C. Iulius Cæſar pontificalium libros edidit, quos citat ſæpè Dionyſius Halicarnaſſæus, Appius Pulcher libros de iure augurali: Sunt autem Ius pontificium, Ius augurale, Ius ſacrum, Ius ſenatorium partes Iuris publici. Quamobrem, quos Varro edidit antiquitatum libros, maxima ex parte ad Ius publicum ſpectaſſe certũ eſt. Vnde conijcere licet, aliam eſſe ſcientiam Iuris publici, aliam priuati: hanc, Iuris ciuilis eſſe, quo in dirimendis priuatorum controuerſijs vtimur: illam, Iuris pontificij, auguralis, ſacri, ſenatorij, omnis antiquitatis, iuris ſociorum, fœderum, pactionum, cauſæ imperij, & artis regendæ reipublicæ. Hæc, vt apud Ciceronem libro 1. de Oratore Antonius Orator docet, Iuriſconſulti: illa, ciuilis viri, & politici propria eſt. *Ius publicum,* (ſcribit Cicero li-

bro 1. de legibus) *incognitum eſt, quod minùs in vſu neceſſarium ſit. Quotus enim quiſque eſt*, (inquit Plinius libro 8. epiſtolarum) *tam patiens, vt velit diſcere, quod in vſu non ſit habiturus?* Sed quò magis incognitum eſt, eò magis laborare debemus, vt eius cognitionem adipiſcamur. Non parum enim alterum ius alteri cōfert. Multa quoque habent inuicem communia. Quia, neque bene ſtatus reipublicæ ſe habet, niſi bonis legibus rerum priuatarum iudicia conſtituantur: nec illa etiam, quantumuis bene conſtituta, diù permanēt, niſi in felici, & rectè ſtabilito reipublicæ ſtatu. Quamobrem hæc duo iura ſimul tractari debuiſſe videntur. Sed non ita contigit. Omnibus ſcientia iuris priuati patere debet, quia ius illud in vſu neceſſarium eſt. Paucorum eſt rempublicam adminiſtrare. Romæ fuit Patritiorum, & eorum qui ex plebe in Patres adlegebantur; qui, quæ vel à patribus, vel vſu, de Iure publico didicerant, poſteris ſuis per manus dare, quàm ſcriptis mandare malebant. Hinc Dionyſius libro 1. ſcribit, Cenſorios commentarios à patribus filios per manus accepiſſe, & ipſos poſteris pari cura tradidiſſe, haud ſecus quàm ſacra paterna, & gen-

tilitia: hos verò per viros illuſtrés, ſeruatos in familijs cenſorijs. Et Plinius libro 8. epiſtolarum, agens de Iure ſenatorio, refert antiquitùs inſtitutum: vt à maioribus natu, non auribus modò, verùm etiam oculis diſceremus quæ facienda; mox ipſi, ac per vices quaſdam tradenda minoribus haberemus. Et quæ olim ſub magiſtratibus fiebant, in libros linteos referebantur, qui in æde ſacra Monetæ reponebātur, vt Liuius teſtis eſt libro 4. quemadmodū quæ fiunt hodie fœdera, pactiones, conuentiones publicæ, ſolent in archiuis, & armarijs regni publicis reponi. Ex his perſpicuum eſt, cur omiſſa ſit in libris iuris, tractatio Iuris publici: quæ tamen omiſſa non eſt, quatenus Ius publicum confert ad Iuris priuati diſtributionem. Eatenus enim de Iure publico Iuriſconſulti diſſeruerunt. Nam, cùm de ſenatoribus agunt, non quærunt, quinam in ſenatum adlegi potuerint: quis adlegere: quis cogere ſenatum: quis ad ſenatum referre: quis ordo fuerit rogandæ ſententiæ: quæ forma diſceſſionis: quomodo ſententiæ diuiderentur: quis numerus ſenatorum, vt legitimus ſenatus haberetur neceſſarius eſſet: quæ quæſtiones merè Iuris publici ſunt:

Sed de dignitate, immunitate, domicilio Senatorum, & alijs, quæ ad Ius priuatum deflectunt, ſolummodo tractant. Idem fit, cùm de magiſtratibus ſermo eſt; quorũ ea munia tantùm, quæ in iure priuatis reddendo conſiſtunt, explicantur. Inter conſtitutiones Principum, quædam de Iure publico cauta reperiuntur. Eſt enim Principum, de vtroque Iure, & priuato, & publico, decernere. Rariùs tamen de hoc, quàm de illo decernunt, quia rempublicam regi arbitrio ſuo malunt, quàm legibus. Huc pertinet illud Aeſchinis in Timarchum, & contra Cteſiphontem: *διοικοῦνται δ' αἱ μὲν τυραννίδες καὶ ὀλιγαρχίαι τοῖς τρόποις τῶν ἐφεστηκότων, αἱ δὲ πόλεις αἱ δημοκρατούμεναι τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις.*

De antiquis variis formis eligendorum Epiſcoporum.

CAPVT. II.

Ius publicum in quibus conſiſtat. Primus Epiſcopus electus ſuffragijs, & ſorte. Varij modi Epiſcoporum eligendorum. Quis eorum antiquiſsimus fuerit. Balſamon reprehenſus. Qui olim ius habuerint in eligendis Epiſcopis.

IVs publicum, in ſacris, ſacerdotibus, & magiſtratibus, conſiſtit. De ſacerdotibus qui ſacra tractāt, quædam dicamus; de his, qui alta in ſpecula reipublicæ Chriſtianæ poſiti ſunt: vnde & nomen habent. Quæramus quot modi antiquitùs fuerint eorum eligendorum. Qui primus Epiſcopus electus fuit, ſuffragijs fuit cum ſorte commixtis electus: alio tamen modo, quam illo, quo in eligendis ſacerdotibus vtendum eſſe Plato libro 6. de legibus conſtituit. Plato enim eligēdos quoſdam primum ſorte cenſuit, ex quibus vnus poſtea ſuffragijs eligeretur. Hîc autem primùm duo ſuffragia tulerunt Mathias, & Barnabas: poſtea tota res diuinæ ſorti commiſſa eſt: Actorum 1. Ab eo tempore ſors ampliùs in electionibus epiſcoporum adhibita non eſt, ſed quoties electio facta eſt, ſuffragio factam legimus. Sic Iacobus frater Domini, à Petro, Ioanne, & Iacobo Apoſtolis, Epiſcopus Hieroſolymitanus ordinatus eſt: & vita defuncto Iacobo, omnes Apoſtolos, & diſcipulos Domini in vnum conueniſſe, & communicato conſilio Simeonem Epiſcopum elegiſſe legimus apud Euſebium lib. 21. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap 1. &

lib.3. cap 10. Vnde hanc formam emanaſſe, vt non minùs, quàm à tribus Epiſcopis, reliquis omnibus aſſenſum præbentibus, Epiſcopus ordinaretur, ſcribit Anacletus ſummus Pontifex, qui fuit quintus à Petro, epiſt. 2. ad Epiſcopos Italiæ: cap. Porrò 66. diſtinctione. Et hic mos fuit omnium frequentiſſimus, vt Epiſcopi comprouinciales, vel maior eorum pars, ad minùs tres, Epiſcopum eligerent, adhibito conſenſu cleri; & populi, vt ex Cypriano lib. 1. epiſt. 4. & lib. 4. epiſt. 2. colligitur. fuit etiam & antiquiſſimus. Nam quod ſcribit Theodorus Balſamon in cap. 4. Niceni Concilij: Cùm olim Antiſtitum electio à multitudine ciuium fieret, hoc diuinis patribus Niceni Concilij non placuiſſe, ne à laicis, ſacris dedicatorum hominum vita diſcerperetur; quaſi Nicenum Concilium primò hanc formam induxerit, reijciendum omninò eſt: antè enim hæc forma emanauerat ab ipſis Apoſtolis, vt dixi, quæ eſſet exemplar futurarum electionum. Cepit verò poſtmodum in quibuſdam locis conſuetudo, vt populus electioni admiſceretur; & ius ſuffragij vſurparet, quod intelligi poteſt ex lib. 3. D. Chryſoſtomi de ſacerdotio, & ex alijs

quoque locis. Nonnunquam ſolus clerus ciuitatis Epiſcopum eligebat: vt Alexandriæ D. Hieronymus epiſt. 85. ad Euagriū ſcribit, à Marco Euangeliſta, vſque ad Heraclam, & Dionyſium Epiſcopos, preſbyteros ſemper vnum ex ſe electum, in excelſiore gradu collocatum, Epiſcopum nominaſſe: quod etiam hodie Iure pontificio obtinet: fit enim Epiſcoporum electio à collegio canonicorum cathedralis Eccleſiæ, eo ritu, & ordine, quem Innocentius definiuit in cap. quia propter de elect. extra. Sæpe clerus cum populo eligebat: cap. quanto. cap. plebs. cap. Epiſcopos. cap. literas, 63. diſtinct. Addidit canon. 10.5. Concilij Aurelianenſis, conſenſui cleri, & plebis voluntatem regis: quam etiam addidit S. Gregorius Papa in cap. quia igitur 63. diſtinctione. Aliquando ſoli imperatores, & Reges elegerunt: cap. Reatina. cap. Nobis. cap Hadrianus. cap. In ſynodo eadem diſtinct. Iuſtinianus in nouella 123. & in l. Omnem C. de epiſcopis & clericis ſtatuit, vt quoties eligendus eſt Epiſcopus, fiat decretum à clericis, & primoribus ciuitatis, in tribus perſonis, ex quibus qui magis idoneus videbitur, in Epiſcopum promoueatur.

Platina in vitis Pontificum refert, Bonifacium III. voluiſſe, vt electio Epiſcopi à clero pariter, & populo fieret eáque ita demum rata foret, ſi à Principe ciuitatis approbata eſſet, & ſummus Pontifex his verbis auctoritatem ſuam interpoſuiſſet, Volumus, & Iubemus; cui penè ſimilis eſt forma præſcripta in Comitijs Aurelianenſibus, temporibus Caroli IX. Reperimus etiam ſummum Pontificem ſolum elegiſſe, cùm noui Epiſcopatus erigebantur, & noui Epiſcopi mittebantur. Sed & idem reperio de Patriarchis, etiam in iam erectis & conſtitutis Epiſcopatibus. Nam Socrates cap. vlt. lib. 7. Eccleſ. hiſtoriæ refert: Firmo Epiſcopo Cæſareæ Cappadociæ mortuo, Cæſarienſes Conſtantinopolim aduentaſſe, Epiſcopum quæſituros: Proclum autem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, cum diù luſtraſſet animo, quem ad eum epiſcopatum deſignaret, tandem Thalaſſio, qui gentium, & ciuitatum Illyrici præfecturam gerebat, manus impoſuiſſe: & pro præfecto Epiſcopum Cæſareæ declaraſſe. Ex quibus colligitur, hos eſſe, qui ius olim in electionibus Epiſcoporum habuerunt: Metropolitanum cum comprouincialibus Epiſ-

copis; Clerum, & populum ciuitatis; Reges & Principes; ſummum Pontificem, & Patriarchas: de quibus coniunctim hoc capite diximus: ſeparatim verò de ſingulis tractandum eſt: & primùm de Metropolitano, & comprouincialibus Epiſcopis.

De poteſtate Metropolitani, & comprouincialium Epiſcoporum, in eligendis Epiſcopis.

CAPVT III.

Forma antiquior eligendorum Epiſcoporum, quæ à Metropolitano & comprouincialibus Epiſcopis fieret, ſeruata etiam in electionibus, Metropolitanorum, Patriarcharum, & Summi Pontificis. Metropolitani præſentia in electionibus Epiſcoporum non neceſſaria. Balſamon renotatus.

AB Apoſtolis emanaſſe illam formam, vt Epiſcopi comprouinciales, ad minùs tres Epiſcopum eligerent, docui in ſuperiori capite. Non tamen eorum canonibus expreſſa eſt. Nam quod in can. 1. Apoſtolorum legitur, Epiſcopũ à duobus, aut à tribus Epiſcopis ordinandum, non de electione, ſed de conſecratione Epiſcoporum interpretandum eſt: & in eo canone verbum χειροτονεῖν non electio-

nem, ſed conſecrationem ſignificat. Hæc forma poſtea confirmata eſt auctoritate Conciliorum generalium, & prouincialium: vt Niceni, can.4.2. Carthaginenſis, can.12.3. Carthaginenſis, can. 39.1. Arelatenſis, 21.2. Arelaten.5. & 6. Auraicenſis, can. 21. cap. Epiſcopi. cap. de abiectione. diſtinct. 64. cap. placet. diſtinct. 65. Cur placuerit plures eligere Epiſcopum, hanc reddit rationem Aquiſgranenſe Concilium cap.9. *Quòd Epiſcopus, non ab vno, ſed à cunctis comprouincialibus Epiſcopis ordinatur, ideo eſt inſtitutum, ne in eo aliquid contra fidem Eccleſiæ, vnius tyrannica auctoritas moliretur.* Scio quoſdam ex his canonibus ſolere accipi de conſecratione Epiſcoporum; ſed arbitror ferè omnes de electione accipiēdos: de quo longiorem diſputationem non inſtituam. Certum eſt enim Theodoreto teſte cap.23. lib. 5. Eccleſ. hiſtoriæ, canones iubere, mortuo Epiſcopo, omnes prouinciæ Epiſcopos ad eligendum Epiſcopum conuocari, eoſdémque vetare, quemquam abſque tribus Epiſcopis, Epiſcopum conſtitui. Et obſeruandum eſt, ſupradictos canones, nullam, aut ſanè exiguam mentionem facere conuenientis cleri, & populi, in electionibus Epiſco-

porum: Sed alij canones addunt conuentui Epiſcoporum prouinciæ conſenſum clericorum, & laicorũ; vt can. 1. 4. Concil. Carthaginen. can. 7. 2. Aurelian. can. 3. 3. Aurelian. can. 8. Pariſien. & can. 10. Cabillonenſis. Vbi etiam tunc clericos, & laicos conſenſum tãtùm electioni præſtitiſſe exiſtimandum eſt: vel ſi ius ſuffragij habuerunt, poteſtas maxima electionis, penes Epiſcopos comprouinciales fuit. Cuius rei argumentum præbet cap. Valentinianus 73. diſtinct. coniuncto loco Theodoreti cap. 6. lib. 4. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. Apud Socratem cap. 26. lib. 7. legitur; Conſtantinopoli in electione Siſinij, qui Attico ſucceſſit, cũ clerici vnum, laici alium ſibi optarent Epiſcopum, præualuiſſe laicorum ſtudium in Siſinio, qui ab Epiſcopis deſignatus eſt: Et lib. 5. cap. 5. Paulinum Epiſcopum Antiochiæ dixiſſe, cõtra Eccleſiæ canones eſſe, vt quiſquã ab Arrianis Epiſcopis deſignatus, ad ſedem epiſcopalem participãdam admitteretur. Idem auctor cap. 2. lib. 6. Theodoretus cap, 27. lib. 5. Sozomenus cap. 2. lib, 8. narrant, Conſtantinopoli Nectario mortuo, cùm de Epiſcopo deligendo ageretur, Arcadium Imperatorem, communibus ſuf-

fragijs cleri, & populi, Ioannem Antio-chenum presbiterum, Chryſoſtomum dictum accerſiuiſſe, & ab Epiſcopis in vnum conuocatis contendiſſe, vt eum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, conſecrarent: ordinationi verò eius obſtitiſſe Theophilum Alexandrinum, qui Iſidoro eccleſiæ ſuæ presbytero ſtudebat: tandem minis Eutropij, palatij Præfecti, perterritum, ne ipſe iudicium de quibuſdam criminibus ſibi obiectis ſubire teneretur, conſenſiſſe ſuffragijs pro Ioanne latis. Ex quibus colligere licet, vbi etiam clerus, & populus elegerat, & voluntas Principis interceſſerat, neceſſariam inſuper fuiſſe, electionem, & ſuffragationem Epiſcoporum, qui ad faciendam ordinationem conuenerant. Quamobrem exiſtimo, decretum illud, quod Iuſtinianus iuſſit in nouella 123. quoties eligendus eſt Epiſcopus, à clericis, & primoribus ciuitatis fieri, in tribus perſonis, oblatum fuiſſe Metropolitano, ſi præſens fuiſſet, vel comprouincialibus Epiſcopis, qui præcepto Metropolitani conuenerant, vt Epiſcopum ordinarent. Et hæc forma non ſolùm in electionibus Epiſcoporum, verùm etiam & in electionibus Metropolitanorum, Pa-

triarcharum, vt ſupra exempla retuli; imò etiam & ipſius ſummi Pontificis, olim ſeruata eſt. Cyprianus lib. 4. epiſt. 2. teſtatur Cornelium Papam electum fuiſſe à pluribus Epiſcopis, adhibito teſtimonio, & ſuffragijs totius cleri, & populi: & paſſim canones præcipiunt, Metropolitanorum electiones à comprouincialibus Epiſcopis, cum conſenſu cleri, ac populi fieri: vt can. 7. 2. Concil. Aurelian. can. 3. Aurelian. 3. cap. Metropolitano 63. diſtinct: & ita à ſuffraganeis Epiſcopis Senonicæ eccleſiæ, Leothericum quendam electum Archiepiſcopum Senonenſem refert Aimoinus cap. 46. lib. 5. de geſtis Francorũ. Quamobrem, neſcio vnde hauſerit Balſamon, quod ſcribit in can. 28. Chalcedonenſis ſynodi, Metropolitanorum electiones à Metropolitanis fieri, & factas ad Patriarcham referri ſolitas. Nam eodem modo Patriarcharum electiones à Patriarchis debuiſſent fieri; & quod factum eſſet referri ad ſummum Põtificem: quod nec fieri potuit, nec vſquam legitur factum. Quod autem Theophilus Alexandrinus interfuit electioni. D. Ioannis Chryſoſtomi, mandato Imperatoris factum eſt: qui & illum, & alios complures Epiſcopos

conuocauit, quò ea ordinatio plus haberet auctoritatis, vt Socrates cap. 2. lib. 6. teſtatur. Idem Balſamon ſcribit, Metropolitanum non potuiſſe intereſſe electionibus Epiſcoporum: allegat can. 28. Chalcedon. Sinodi, & can. 12. 2. Carthagin. qui canones id non probant. Contrà verò canon. 19. Antiochenæ ſynodi, preſentiam Metropolitani exigit in ordinationibus Epiſcoporum: cap. Non debet. cap. Epiſcopus 65. diſtinct. quam cæteri canones non exigunt, ſed tantùm eius ſcientiã, iuſſum, præceptum, auctoritatem deſiderant: vt can. 6. Nicenæ ſynodi 1. can. 12. Laodic. ſynodi. can. 12. 2. Carthag. can. 39. 3. Carthag. can. 1. 4. Carthag. can. 21. 1. Arelat. can. 5. & 6. 2. Arelat. cap. illud. cap. extra. 64. diſtinct. cap. placet. diſtinct. 65. Nec effugium Balſamonis quicquam valet, qui in eo can. 19. Antiochenæ ſynodi interpretatur præſentiam Metropolitani, eius permiſſionem. Tamen id quandoque obtinuiſſe in Eccleſia Græca, vt Metropolitanus electionibus Epiſcoporum intereſſe non poſſet, coniicio ex his, quæ Zonaras annal. lib. 3. in Nicephoro Phoca memoriæ prodidit: Ortam fuiſſe inter ſummum Paſtorem, & primarios ſacerdotes de ſuffra-

de ſuffragijs contentionem, cùm hi decernendi licentiam, & approbandi poteſtatem ſibi vendicarent: ille ſuffragia reprehenderet, vt quæ nec ſine affectu, nec recto iudicio ferrentur: & operam daret, vt ab ijs iudicium, & electionem facturis, ipſe in conſilium adhiberetur. *καὶ σπουδάζοντος κοινοῦσθαι αὐτῷ τοὺς ἀρχιερεῖς περὶ τῶν μελλόντων ψηφίζεσθαι.* Itaque veriſſimile eſt, Balſamonem ſecũdum conſuetudinem, quæ poſtea in Græcia inoleuerat, veteres canones interpretatum: quod vitioſum eſt.

De Iure cleri, & populi in eligendis Epiſcopis.

CAPVT IIII.

Clerus habuit ius eligendi Epiſcopos. Habuit etiam populus. Vnde populus habuerit. Electio cleri, conſenſus populi. Populus hodie ius illud non habet.

CLERVM habuiſſe ius eligendi Epiſcopos manifeſtum eſt ex ſuperioribus; habuiſſe etiam & laicos: vnde paſſim canones, præter illos quos citaui in ſuperiori capite, dicunt electionem Epiſcopi à clero & populo, vel cum conſenſu cleri & populi faciendam:

cap. Epiſcopos. cap. literas. cap. cleri. diſtinct. 63. Sic cap. 78. legis Francicæ ſtatuitur, electionem Epiſcopi à clero, & populo, ſecundum ſtatuta canonum eſſe faciendam, cap. ſacrorum. eadem diſtinct. & apud Gregorium Turonenſem lib. 4. cap. 6. & 7. Hiſtoriæ Franc. Epiſcopi dicebant Catoni presbitero. Videmus quia te elegit pars maxima populorum: veni, conſenti nobis, & benedicentes conſecremus te ad Epiſcopatum. Neque verò dicendum eſt, populum tantùm conſenſiſſe electioni factæ à clero. Nam etiam populum elegiſſe certum eſt. Inde legimus ſæpe diuiſa fuiſſe ſtudia cleri, & populi, dum clerus vnum, alium populus eligeret: vt apud Socratem cap. 26. lib. 7. eccleſ. hiſtoriæ, Quinimò in electione ſummi Pontificis, non tantùm cleri, ſed etiam populi Romani partes in eligendo fuerunt: quæ ratio poſteà ſequentibus temporibus immutata eſt. Nuſquam tamen populus dicitur elegiſſe, quin approbanda fuerit electio à comprouincialibus Epiſcopis, vel à Metropolitano, aut Patriarcha: Theodoretus lib 1. eccleſ. hiſtoriæ cap. 9. cap. literas. 63. diſtinct. Quamobrem dixi in ſuperiore capite, vbi cum clero, &

populo conueniebant Epiſcopi comprouinciales ad electionem faciendam, poteſtatem maximam electionis penes Epiſcopos fuiſſe. Hoc iuspopulus habuit ex conſuetudine magis, quàm ex lege. Ex lege habuit, vt expeteret ſibi aliquem in Epiſcopum, cap.Nulla. 62. diſtinct. Vt arriperet ex foro, ex tribunali, & ad Epiſcopatum deferret; poſtulans eum à clero, vel ab Epiſcopis eligi: quemadmodum Mediolani petijt ſibi deſignari Ambroſium: Theodoretus cap. 6. lib. 4. Sozomenus cap. 24. lib.6. & Conſtantinopoli Nectarium: Socrates cap. 8. lib. 5. vt teſtimonium de vita, & moribus eius ferret. cap. Nota. 63. diſtinct. cap. literas. 8. quæſt.1. denique vt hunc ſibi gratum, hunc ſe optare, huius ſe electioni maximè conſentire declararet. cap. noſſe.cap. cum longè, verſic. electiones, cum duobus. cap. ſequent. 63. diſtinct. Populi verò conſenſum canones deſiderarunt: ne ciuitas Epiſcopum non optatum, aut contemneret, aut odio haberet: cap.Si forte eadem diſtinct. ne qua poſtmodum retractio cuiquam, ne quis ſcrupulus reſideret: cap. licet. 8. quæſt. 2. ne inuitis, aut non petentibus datus Epiſcopus, nihil, aut parum in grege

Chriſti proficeret. Ex conſuetudine magis habuit, quàm ex lege, vt eligeret, vt ius ſuffragij haberet. Si quando legimus electionem fuiſſe cleri, & populi, interpretari debemus elegiſſe clerum, populum conſenſum electioni præſtitiſſe: vt in cap. noſſe. 63. diſtinct. & apud Iuonem Carnotenſem epiſt. 181. diſtinguitur electio cleri, à conſenſu populi, his verbis: *qui nulla ratione potuit aſſerere, quòd electionem cleri, aut conſenſum populi habuiſſet.* Et tamen idem auctor epiſt. 163. iungit in electione Epiſcopi, cleri, & plebis conſenſum. *Petitioni tamen veſtræ*, (inquit) *hoc reſpondemus, quia electioni Domini Fulconis, vel alterius, aſſenſum non dabimus, niſi quem aut cleri, plebiſque conſenſus elegerit, aut Metropolitani iudicium cum conniuentia ſuffraganeorum, habita legitima diſcuſsione probauerit.* Vbi obiter notandum eſt, duas illas formas eligendorum Epiſcoporum temporibus Iuonis Carnotenſis vſurpatas; vt clerus cum populo eligeret: & vt Metropolitanus, habito conuentu Epiſcoporum comprouincialium. Quòd ſi verba auctorum, vel canonum, hanc interpretationem non patiantur: vt ingenuè fatendum eſt, laicos ſe immiſcuiſſe olim ele-

ctionibus Epiſcoporum; hoc aliquandiu toleratum fuiſſe,& permiſſum in Eccleſia, quoniam conſuetudine inualuerat, dicendum eſt: donec incommoda maxima, quæ ex illa electione populari conſequebantur, impulerunt Pontifices, vt ius illud populo adimerent. cap. Sacroſancta. cap. Maſſana de elect. extra. Et verò potuerunt, & debuerunt adimere. Conſuetudo enim ſeruãda eſt, vbi lex deficit. l. de quibus, l. diuturna. D. de legibus. Non eſt ſeruanda, vbi lex repugnat. l. 2. C. Quare ſit longa conſuetudo. At hæc conſuetudo ſacris Conciliorum canonibus repugnabat: qui vetant per populum electionem Epiſcoporum & ſacerdotum fieri: vt can. 13. Laodic. ſinodi. can. 3. Syn. Nicænæ. 2. can. 1. ex Concil. Martini Papæ,apud Martinum Bracarẽſem. cap. Nullus, cap. Non eſt. cap. Omnis. cap. Non licet, 63. diſtinctione.

De nominatione, & auctoritate Regia in eligendis Epiſcopis.

Caput V.

Auctoritas Principum in eligendis Epiſcopis, Quænam fuerit olim Imperatorum Romanorum, Regũ Franciæ, & Hiſpaniæ, Imperatorum Germaniæ, Regum An-

gliæ & Hungariæ. Abuſos ſæpe ea auctoritate Principes. Qui Principes hodie ius nominationis habeant in Epiſcopatibus.

MAIOR hic ſuboritur dubitatio de Principe, cuius voluntatem addit Concilium Aurelianenſe.5. can.10. cõſenſui cleri & plebis, in ordinationibus Epiſcoporum. Contrà verò in can. 30. Apoſtolorum iubetur deponi & ſegregari, qui eccleſiam per Principes adeptus fuerit. Et can.3. Syn. 7. quæ eſt Nicena 2. Omnis electio, quæ fit à Principibus, & magiſtratibus, Epiſcopi, presbyteri, vel diaconi, irrita iudicatur. cap. Omnis. diſtinct. 93. Et can.28. Synodi 8. quæ eſt Conſtantinopolitana 4. prohibentur laici Principes, vel potentes ſemet immiſcere electioni, aut promotioni Patriarchæ, Metropolitæ, aut cuiuſlibet Epiſcopi. cap. Nullus. diſtinct. 63. Ante eum canonem Imperatores Græcos ſe inſeruiſſe promotionibus Patriarcharum legimus. Sozomenus cap. lib. 7. paulò aliter narrat Nectarij in Epiſcopum Conſtantinopolitanum electionem, quàm cæteri alij hiſtorici eccleſiaſtici. Scribit enim Imperatorem Theodoſium iuſſiſſe ſacerdotibus, nomina eorum, quos ad ordinationem

dignos iudicarent, chartæ inſcribere: & ſibi ipſi ex omnibus his, vnius electionem reſeruaſſe: cùm verò Antiochiæ Epiſcopus, Nectarium in album retuliſſet, qui nondum baptizatus erat; hunc elegiſſe imperatorem, & poſtquam baptizatus fuiſſet, communi ſynodi, quæ tunc Conſtantinopoli habebatur, ſuffragio Conſtantinopolitanum Epiſcopum declaratum. Similiter Neſtorio mortuo Arcadius Imperator Ioannem Chriſoſtomum, Antiochenum presbyterum accerſiuit. Et poſt mortem Siſinij, ſcribit Socrates cap. 29. lib.7. viſum eſſe Theodoſio iuniori Imperatori, propter homines inanium rerum appetentes, neminem ex illa eccleſia (licet multi Philippum, complures Proclum deſignatum cuperent) ad Epiſcopatum illum eligere: ſed aduenam Antiochia accerſiuiſſe, Neſtorium quendam ex Germanica oriundum. Plurimùm quoque potuiſſe Imperatores Romanos, & Oriētis & Occidentis, in promouēdis ſummis Pōtificibus electio Vigilij ſatis oſtēdit: & antè, Honorius Imperator, Bonifacio 1. electo Pontifice, & ab alijs Eulalio, vtrunque Roma abire coëgit: ſedi tamen Apoſtolicæ poſteà reſtituit Bonifacium legiti-

mum Pontificem. S. quoque Silucrius electus fuit Pontifex, Theodato Rege Oſtrogotthorum iubente, qui magnam partem Italiæ poſſidebat. Denique ex Platina, Blondo, & alijs hiſtoricis conſtat, vanam habitam cleri, ac populi electionem, ni eam Imperatores, aut eorum Exarchi Italiæ cõfirmaſſent: quod ne ampliùs liceret Imperatoribus, aut Exarchis, conſtituit Cónſtantinus Imperator, filius Heraclij: Platina in Benedicto 2. Cur intercederet confirmatio illa Imperatoris, tradit Onuphrius in Platinam: ne electo Pontifice, Imperatoris hoſte, res Imperatorum in eccleſia turbarentur. An ſimiliter ſe immiſcuerint Imperatores electionibus aliorum Pontificum, non planè compertum habemus. Sè tamen aliquando immiſcuiſſe argumentum præbet d. Synodus 8. quæ prohibet ne ſe immiſceant. Poſt eam ſynodum Nicephorus Phocas edixit, ne iniuſſu Imperatoris, vllus Epiſcopus crearetur: quod edictum reſciſſum fuit, vt alia eius acta reſciſſa à Ioãnè Zimiſce, qui ei vitam, & imperium ademit. Paulatim tamen in eo imperio, tèmpore inualuiſſe, vt hi, quos Imperator vellet, Patriarchæ deſignarẽtur, ex Nicephoro Gregora lib. 8. Romanæ

Hiſtoriæ colligitur. In Gallia noſtra, Concilij Pariſienſis can. 8. placuit, ne quis per ordinationem regiam ad honoris Epiſcopalis culmen peruaderet: quem canonem ſi contuleris cum canone 10. 5. Concil. Aurelian. reperientur inuicem diſſidere: cùm tamen vtrunque Concilium iiſdem ferè temporibus habitum fuerit, temporibus Pelagij 1. quibus Franciæ imperium tenebant filij Clodouei: niſi dixeris, quod veriſſimum eſt, Concilium Pariſienſe non excludere voluntatem regiam, ſed imperium & ordinationem. Attamen, ſiue Regibus noſtris, ſtirpis Merouingiæ, ius eligendi Epiſcopos in regno ſuo à ſummis Pontificibus conceſſum fuerit: quod non conceſſum fuiſſe probat cap. hinc eſt. 16. queſt. ſiue aliunde id ipſi ſibi vēdicauerint, conſtat illos ſæpe conſtituiſſe Epiſcopos in locum demortuorum, vt ex infinitis locis Gregorij Turonenſis apparet; maximè ex cap. 6. 7. 18. lib. 4. Hiſtoriæ Francorum. Electionem quoque Epiſcoporum fuiſſe olim Regum Hiſpaniæ, ex can. 6. 12. Concilij Toletani notum eſt: cap. cum longè 63. diſtinctione. Primum Pipinum illud ius cōceſſione Zachariæ ſummi Pontificis habuiſſe, Lupus Ferrarienſis Abbas, à con-

ſilijs Calui Imperatoris ſcripſit: quod poſteà Carolo Magno, & Imperatoribus Germanis tributum eſt. Horum exemplo ius eligendi Epiſcopos cæteri Principes paſſim arripuerunt: vnde plurima in orbe Chriſtiano mala nata, bella, contentiones, incendia, direptiones vrbium & ſchiſmata. Neque libet hic omnia commemorare: potiſſimùm quæ in Germania, & Italia contigerunt, temporibus Henrici I V. & V. Friderici I. & II. & aliorum Imperatorum Germaniæ: quæ nota ferè omnibus ſunt. In Anglia, Reges Angliæ Epiſcopos faciebant, & factis Epiſcopatuum poſſeſſionem dabant: donec Eduardus I I I. in Cõcilio Londini habito, iureiurando promiſit, per ſe non ſtaturum deinceps, quo minùs eſſet integrum eligere ſibi, quos vellent, Epiſcopos, alióſque Præfectos: Polydorus Virgilius lib. 10. 11. & 19. Anglicæ hiſtoriæ. Id ius etiam vſurparunt Reges Hungariæ: ex quibus Martinum Regem renuntiaſſe inueſtituris Epiſcoporum, & aliorum prælatorum, quas vſque ad illa tempora Reges Hungariæ faciebant, ſcribit Nauclerus generat. 37. in quo propoſito non diu Reges illi ſtetere. Nec verò Imperatores Germani contenti fuerunt ipſi

Epiſcopos eligere: Sæpe etiam, vt alijs liceret, conceſſerunt. Scribit Albertus Krātzius cap. 19. lib. 6. Saxoniæ, & cap. 36. lib. 4. Vandaliæ, Henricum Ducem Saxoniæ impetraſſe ab Imperatore Friderico, Epiſcopatus erigere, & confirmare in omni terra Vandalorū, quā vel ipſe, vel progenitores eius ſubiugarent. *Et dedit,* (inquit ille) *facilè Imperator, quod non habuit, incapaci iuris eccleſiaſtici.* Et idem auctor cap. 10. lib. 4. Vandaliæ, *Tolerabile fuit ab imperio feuda temporalium rerum recognoſcere, quod hodie quoque geritur: ſed voluere Principes etiam de perſonis aſſumendis diſponere, quod ipſum eſt iuris eccleſiaſtici.* Nonnunquam vacante aliqua eccleſia, ſpecialiter electionem clero, & populo largiti ſunt. Vnde Luidpertus Archiepiſcopus Moguntinus dicebat clero, & populo Colonienſi, vt refert Regino 2. Chron. *Si electionem nobis à Rege conceſſam deſpicitis, in arbitrio Regis eſt, quem nobis velit dare Epiſcopum.* Plerique Imperatores & Principes abuſi ſunt maximè eo iure: iuuenes, & aulicos eccleſiis præfecerunt: ſæpè pecunia, & gratia, indignos, imperitos, & fumoſis magis maiorum imaginibus, quàm virtutibus conſpicuos, ad magna illa ſacerdotia promouerunt. Ai-

moinus cap. 57. lib.3. de geſtis Francorum ſcribit, tempore Chilperici Regis, paucos clericos ad Epiſcopatum promotos fuiſſe, ipſo neophytis eccleſiam contradente: & Albertus Krantzius cap. 41. lib. 5. Saxoniæ, Imperatorē Henricum IV. vacãte Herbipolenſi ſede, de more ſuo, nobilē adoleſcentē, qui nondum per ætatē eccleſiæ præeſſe poterat, introduxiſſe: capitulũ autem eccleſiæ Herbipolenſis, virum grauem, eiuſdem eccleſiæ canonicum elegiſſe, vnde nata contentio fuerit. Irrupere etiam in exuuias demortuorum Pontificum: quæ res moleſta fuit Epiſcopis, vt refert idem Krantzius cap. 51. lib. 6. Saxoniæ. Plerunque vacantium epiſcopatuum, & cœnobiorum fructus percipiebant, donec elegiſſent, quos eccleſijs præficerent: & eo lucro illecti, ſacerdotia diu vacare de induſtria permittebant: vt Henricus II. Rex Angliæ, Lincolnienſem epiſcopatum 17. annis vacare permiſit, ipſo interim reditus percipiente: Polydorus Virgilius lib 13. His malis dum mederi cupiunt ſummi Pontifices, in maximum diſcrimen rempublicam Chriſtianam perduxerunt. Renouauerunt ſæpe, quod primò canonibus Apoſtolorum, deinde à S.

Simplicio Pontifice Romano, vt refert Platina in eius vita, conſtitutum ſub anathematis pœna fuerat, ne poſſeſſionem vllius beneficij clericus à laico acciperet. Hæc non tam fuerunt remedia, quam noua vulnera. Facilius eſt enim principiò poſtulantibus denegare, quàm cùm ſemel conceſſeris, poſtea auferre, & adimere. Nec tutum, cum eis iure experiri, qui plus poſſunt. Poſt multa bella, & diſſidia, ſæpiſſime inter Imperatores, & Summos Pontifices compoſitæ res fuere; maximè temporibus Friderici 3. quibus in vſum reuocatæ electiones ſunt, ſalua Cæſari, & Romano Pontifici confirmationis auctoritate: quo iure hodie Germania vtitur. In Gallia Philippus Auguſtus, & D. Ludouicus eius nepos liberas permiſerunt electiones eccleſijs cathedralibus & alijs huius regni: atque ita eo iure, quo anteriores Reges vſi fuerant, ſponte ſe abdicarunt: & Carolus 7. curauit Concilium Baſileæ haberi, quo etiam liberæ electiones eccleſijs relictæ ſunt. Tandem, concordatis inter Leonem X. Pôtificem Maximum, & Franciſcum I. Francorum Regem initis, electiones ſublatæ ſunt: & ius nominationis in epiſcopatibus, monaſterijs, & alijs ſa-

cerdotijs, exceptis quibuſdam, Regibus noſtris attributum. Iam longum tempus erat, quo ius illud nominationis Reges Angliæ ſibi vēdicauerant. Nam ſcribit Polid. Virg. li. 19. Eduardo III. perſuaſum fuiſſe ab ambitioſis ſacerdotib᷉, vt Epiſcopos deſignaret: quo inſtituto Reges Angli ab eo tempore ſemper vſi ſunt. Reges Poloni habent ius nominationis, vt ſcribit Cromerus lib. 2. rerum Polonicarum. Non habent Siculi Reges: ſed in eo regno liberrimus eſt Epiſcoporum delectus, à ſummo Pontifice confirmandus. Yſernias in procemium conſtitutionum Neapolitanarum.

De confirmatione electionis Epiſcoporum.

Capvt VI.

Expoſitio cap. Mos antiquus diſtinct. 65. Rufini interpretatio reiecta. Nili etiam & Balſamonis. Communis quoque. Noua prolata. Confirmatio Epiſcoporum ad ſummū Pontificē, & Patriarchas ab antiquo pertinet.

Potestatem electionis, & confirmationem pertinere per ſingulas prouincias, ad metropolitanum Epiſcopum definitum eſt. can. 4. & 6. Niceni Concil. cap. Epiſcopi. cap. Il-

lud.64. diſtinct. quod etiam alijs Conciliorum canonibus & decretis Pontificum confirmatum eſt: vt can.12.Laodic.Synodi & can. 8. Epheſinæ. cap extra. cap.quia per ambitionē.eadem diſtinct.cap.non debet. cap.Epiſcopus.diſtin.65.Et hoc,ſi eccleſia. Primatē non habeat:nā ſi habeat, Primatis præceptum neceſſarium eſt, vt expreſſum eſt in can. 12. 2. Carthagin. Synodi.cap. de perſona. cap. placet. diſtinct.65. & antè etiam can. 6.&7. Nicenæ Synodi 1. definitum erat. cap. Mos antiquus. & cap. ſeq. diſtinct. 65. vbi cùm dicitur morem antiquum perdurare in Aegypto,vel Lybia & Pentapoli, vt Alexandrinus Epiſcopus horū omnium habeat poteſtatem,quando quidē & Epiſcopo Romano parilis mos eſt: ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστιν, non ita canon accipiendus eſt, vt parē eſſe velit Alexandrinū Epiſcopū Romano,ſed magis vt Alexandrinus Epiſcopus habeat curā totius Aegypti, ſicut Romano Pontifici conſuetum eſt habere curā vicinarum prouinciarum. Ruffinus lib. 10. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap 7. ita eum canonem interpretatur: vt Concilium decreuerit Alexandrino Epiſcopo curam totius Aegypti incumbere, ſicut Romanus Epiſcopus

curam gerit ſubvrbanarum eccleſiarum: quæ interpretatio reijcienda prorſus eſt. Nam quæ comparatio fuiſſet anguſtiſſimæ regionis, quæ primo Patriarchæ committeretur, ad latiſſimam, quæ ſecundo? Probabilior eſt expoſitio Theodori Balſamonis, & Nili in libro contra primatum Eccleſiæ, Epiſcopum Alexandrinum habere curam totius Aegypti, ſicut Romanus Epiſcopus habet curam totius Occidentis. Sed etiam in toto Occidente olim Romanum Epiſcopum electos Epiſcopos non confirmaſſe argumento eſt, quòd in can. 6. 12. Concil. Toletani, ius confirmandi Epiſcopos in Hiſpania Archiepiſcopo Toletano delatum ſit. cáp. cùm longè 63. diſtinct. Alij ita interpretantur, Concilium definire Alexandrinum Epiſcopum debere regimen illarum prouinciarum habere, quia Romanus Epiſcopus antè Concilij definitionem, conſueuerat eas permittere regimini Epiſcopi Alexandrini. Verum & hec quoque interpretatio mihi dubia videtur. Animaduertendum eſt autem in libris vulgatis deeſſe initium illius canonis, quod tale eſt. *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum, mos autem perduret. &c.* Sic ille canon citatur in Con-

cilio Chalcedonenſi, actione. 16. Deinde poſtquam de Alexandrino Epiſcopo dictum eſt, ſubijcitur, *Similiter autem & apud Antiochiam, cateráſque prouincias, honor ſuus vnicuique ſeruetur Eccleſiæ.* Itaque collatis his, quæ in eo canone antecedunt, & ſequuntur, apparebit hanc eſſe ſententiam canonis, vt primùm declaret eccleſiam Romanam ſemper habuiſſe primatum, & huic honorem præcipuum deberi, ſuum honorem deinde Alexandrino, Antiocheno, & alijs reliquis Primatibus, & Metropolitanis ſeruandum eſſe: hos verò in prouincijs ſuis horum omnium habere poteſtatem, id eſt, eorū quæ in ſuperioribus canonibus expreſſerat, poteſtatis nempe, & confirmationis electionis Epiſcoporum, quam can. 4. dixerat pertinere per ſingulas prouincias ad Metropolitanum Epiſcopum; conuocationis ſynodorum particularium bis in anno, quas iubent etiam alij canones metropolitanum cogere, vt can 20. Antiochenæ ſynodi. can. 6. Nicenæ ſynodi 2. cap. propter. cap. quoniam. diſtinct. 18. *Quando quidem*, inquit, *& Epiſcopo Romano parilis mos eſt*, id eſt, quoniam conſueuit Romanus Epiſcopus confirmare electiones Epiſcoporū in vicinis

prouincijs, quarum curam particulatim gerit; conſueuit etiam curare, vt in his bis in anno Concilia habeantur: & ita ex conſuetudine Romanæ Eccleſiæ erga vicinas prouincias formam præſcribit Alexandrinæ, Antiochenæ & alijs Patriarchalibus, & Metropolitanis eccleſijs. Nec propterea dicendum eſt curam vniuerſalis eccleſiæ Romanum Pontificem non gerere, quia particularem curam gerat vicinarum prouinciarum. Hæc enim non ſunt contraria, curam gerere vniuerſalis eccleſiæ, in his quæ vniuerſalem Eccleſiæ ſtatum reſpiciunt, & particularium quoque eccleſiarum regimen ſuſcipere. Vt Romæ Imperatores qui ſummam Imperij tenebant, quaſdam tantùm imperij Romani prouincias regendas ſumpſerunt, alias Senatui, & populo gubernãdas dederunt: Dion lib. 53. ſed potẽtiores prouincias obtinere voluerunt Imperatores. Hîc autem, quod eccleſis expediebat, magis ſpectatum eſt. Non patitur neceſſitas eccleſiarum, quæ diu orbatæ paſtoribus remanerent, vt ex longinquis regionibus, puta ex Græcia, Africa, Aſia, India petatur corfirmatio electionis Epiſcoporum à Romano Pontifice. Nec ita poſſunt eſſe notæ perſonæ

eorum,qui electi ſunt; illorum mores, cõuerſatio, vita,ſtudia populi in eos, quibus artibus ſuffragia meruerint: vt illa omnia nota eſſe poſſunt Metropolitano, aut Primati. Quamobrem conſtituti ſunt per ſingulas prouincias Metropolitani, qui quòd prouincijs in rebus eccleſiaſticis præſint ἔξαρχοι prouinciarum dicuntur, conſtituti Primates, ſeu Patriarchæ, qui & hãc & alias partes ſollicitudinis regendarum eccleſiarum humeris ſuis ſuſtinerent. Hos caue dixeris parem habere poteſtatem cum Romano pontifice: alioquin ſtatus Monarchicus non eſſet in eccleſia, qui proculdubio in ea, vt qui perfectior eſt cæteris, conſtitutus eſt: ſed propè ad dignitatem & auctoritatem Romani Pontificis accedere. Hi eorum omnium poteſtatem habent, quæ eccleſias prouinciæ ſuæ reſpiciunt, vt Alexandrinus poteſtatem habet in Aegypto, Lybia & Pentapoli; Antiochenus in Oriente; Conſtãtinopolitanus, in Græcia, & Thracia: hi igitur Epiſcopos prouinciarum ſuarum ordinabunt. Referunt Socrates cap. 28. lib. 7. Nicephorus cap.29. lib 14. mortuo Cizicenorum Epiſcopo, Siſinium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, Proclum Cizici Epiſcopum

deſignaſſe: quem ad eam vrbem profe-ćturum anteuerterunt Ciziceni,& Dalmatium Epiſcopum ordinarunt. Hoc autem ab illis factum eſſe, neglecta ea lege, quæ iubet ne quis Epiſcopus deſignetur abſque ſententia, & auctoritate Epiſcopi Conſtantinopolitani. Mauritania Sitifenſis habuit proprium Primatem, can. 17. Carthagin. Synodi. habuit & Africa Epiſcopum Carthaginenſem, nouella 131. habuit & Cyprus inſula: prohibitus eſt Antiochenus Patriarcha in Cypro ordinationes facere, ſed iuſſum eſt fieri ab ipſo Cypri Archiepiſcopo can. 8. Epheſ. ſyn. can. 39. Synodi in Trullo. d. nouella 131. Verùm tamen hi omnes, & quotquot vel ex iure, vel ex conſuetudine Epiſcopos ordinant, ordinationes non ſua, ſed auctoritate Apoſtolica celebrabũt. Sic præcepit Anacletus ſũmus Pontifex qui fuit v. à Petro in epiſt. ad Epiſcopos Italiæ, cap. ordinationes. diſtinct. 64. & ſic etiam Aimoinus cap. 46. lib. 5. de geſtis Francorum, refert ſuffraganeos Senonicæ eccleſiæ, cum voluntate & auctoritate apoſtolica ordinaſſe Leothericum Archiepiſcopum Senonenſem. Et in nouella Theodoſij, & Valentiniani. tit. de ordinatione Epiſcoporum, prohi-

bentur Epiſcopi ordinationes Epiſcoporum, inconſulto Romano Pontifice, facere. Ea conſtitutio eſt in Hilarium Epiſcopum Arelatenſem, qui ordinationes ſibi Epiſcoporum per Gallias vindicabat, inconſulto Romano Pontifice. Ad eam aduertere deberent, qui tanto ſtudio affirmant nouiſſimis ſolùm temporibus, hanc conſuetudinem in eccleſiam irrepſiſſe, vt non liceat, niſi priùs conſulto Romano Pontifice, confirmatione electionis ab eo petita, Epiſcopum ordinare.

Regem non rectè ſummum Magiſtratum appellari.

CAPVT. VII.

Regem eſſe à ſummo Magiſtratu deſtinguendum. Huic poteſtatem ad tempus credi: illi in perpetuum. Romæ creato Dictatore manſiſſe populi & popularium Magiſtratuum poteſtatem & Senatûs auctoritatem.

DE ſummis Sacerdotibus, qui ſummam in eccleſia Dei dignitatem gerunt, diſputationes ſuperiores fuerunt. Nunc de ſummis Magiſtratibus inſtituenda diſputatio eſt. Hos

eſſe vulgò dicunt Reges & Principes. Quod meritò eruditioribus diſplicuit, qui accuratè diſtingunt Regem à ſummo Magiſtratu. Sic autem diſtinguendum exiſtimo. Aut Regia poteſtas alicui ad tempus committitur, aut in perpetuum. Si ad tēpus, is non Rex, ſed ſummus Magiſtratus habendus eſt. Reges enim ad tempus non creantur. Quamobrem nec dictator in republica Romana Rex erat, nec Vergobretus apud Heduos, qui creabatur annuus; & vitæ, & necis poteſtatem habebat, Cæſar lib.1.&7. de bello Gallico: nec Prytanes apud Rhodios: nec Bœotarchus in Beotia, Mediaſticus apud Campanos, Suffetes apud Pœnos, Magnetarches Demetriade; nec apud Mityleneos Aeſymnetæ, apud Athenienſes & Theſſalos Archontes, apud Lacedemonios Armoſtæ, quibus Dionyſius Halicarnas. lib. 5. Dictatores Romanes comparat. Hi omnes ſummi Magiſtratus erant, quales fuiſſe eorum quàm plurimos Liuius dicit lib. 26. 28. 30. 42. 45. non Reges. Similiter cum pactis conuentis Florentini, Robertum filium Caroli Regis Neapolitani, Ducem ſibi certis legibus in quinquennium elegerunt: Antonius in Chronicis §. 2. cap. 9. tit. 20. Genuenſes ſe

Regi Roberto per decem annos certis conditionibus permiſerunt: Antoninus §. 2. cap. 4. tit. 21. non ſibi Reges, ſed ſummos Magiſtratus elegiſſe dicendum eſt. Nec neceſſe eſt, quò is, cui ad tempus Regia poteſtas credita eſt, ſummus Magiſtratus habeatur, ei omnia, quæ ſunt Regiæ poteſtatis committi: ſed ſufficit, ſi quaſdam partes imperij regij habeat, dummodo alius Magiſtratus maiores, aut plures, in republica non habeat. Nam ſæpe etiam Reges non omnes habent, nec tamen propterea minùs Reges dicuntur: quod ex his quæ in cap. 4. lib. 2. manifeſtum fiet. Quod ſi Regia poteſtas alicui in perpetuum cōmittatur, is Rex, non ſummus Magiſtratus habendus eſt, ſiue Regio nomine polleat, ſiue alio, puta Imperatoris, vel Ducis. Vt enim Albertus Krantzius cap. 23. lib. 5. Sueciæ ſcribit, agens de Birgerio quodam electo Rege Sueciæ, qui Ducis nomine contentus, regio abſtinuerat; *Nihil intereſt in vocabulo, Rex, an Dux quis conſeatur, dum eodem iure, & imperio omnium rerum poteſtatem teneat.* Et verò apud quaſdam nationes Regium nomen inuiſum eſt, vt olim Romæ fuit: & Bohemi aliquo tempore, duriùs in Principibus ſuis Regis nomen

patiebantur, quàm Ducis: Albertus Krantzius cap. 19. lib. 7. Vandaliæ. Cur autem Regem non dicam, cui ad tempus Regia poteſtas committitur, ratio in promptu eſt, Qui eam credidit, ſibi quoque illam retinuit alioquin cogere eum non poſſet exacto tempore, vt ſe poteſtate abdicaret. Veluti Romæ Dictator cogebatur exacto ſemeſtri tempore ſe abdicare magiſtratu: imò etiam creato Dictatore Tribuni plebis poteſtatem ſuam retinebant, & à Dictatore ad populum erat prouocatio, vt oſtendunt Liuius lib. 8. & Plutarchus in Fabio Maximo. Senatus quoque auctoritas remanebat: Liuius lib. 6. *decretum tulere, vt Dictator primo quoque tempore auxilium Sutrinis ferret*. At verò, qui in perpetuum conceſſit, nullam prorſus retinuit, l. 1. D. de conſtitut. Principum: niſi precariò conceſſerit: qui enim precariò dedit, dominus remanet, & imperium eius eſt; non eius qui precariò habet. Idem etiam eſt, ſi ita conceſſum fuerit, vt non iure ſuo habeat, ſed tanquam vices gerens eius qui mandauit. arg. l. Et ſi prætor. D. de officio eius, cui mand. eſt iuriſd. & l. Solet. D. de Iuriſd. Itaque vt is, cui in perpetuum imperium datum eſt, Rex habeatur, oportet

vt in eum imperium pleno iure tranſlatum ſit. In quem ſolum ſi imperium tranſlatum fuerit, Regnum electiuum erit: ſin verò etiam in eius ſtirpem & poſteros, ſucceſſiuum. Vnde duplex regni genus conſtituendum eſt: alterum, quod iudicio & ſuffragijs populi; alterum, quod ſucceſſione deferatur: de quo duplici Regni genere, in ſequentibus capitibus ſermonem inſtituere decreui.

Duas eſſe ſpecies Regni, quod electione defertur & de priore eius ſpecie.

CAPVT VIII.

Diuiſio Regnorum, alia electione, alia ſucceſſione deferantur. Subdiuiſio Regni electiui in duo genera. Ex priori genere vetus regnum Aethiopiæ fuiſſe, regnum Romanum, Imperium Romanum, & Græcum. Collegarum adſumptio in vtroque imperio frequens. Cæſarum & Auguſtorum nuncupatio. Deſignatio ſucceſſorū. Diſpoſitio teſtamentaria. Non tamen propterea Imperium ſucceſſiuum fuiſſe. Prærogatiuā habere filios & ſtirpem regiam in quibuſdam regnis electiuis, in quibuſd am non habere. Imperium Germanorum electiuum. Aliam eſſe vim deſignationum ſucceſſoris, & diſpoſitionum teſtamentariarum & prærogatiuæ filiorum in regno electiuo, aliam in ſucceſſiuo. Regna Poloniæ, Daniæ, Suediæ electiua. Regnum quoque Longobardorum & Oſtrogo-

thorum in Italia, & Gotthorum & Suenorum in Hiſpania, & Regum quoque Arabum ſimiliter electione deferri conſueuiſſe.

SVMMA diuiſio Regnorum, quæ alio iure, quàm belli acquiruntur in duo genera deducitur: aut enim electione, aut ſucceſſione deferuntur. Quæ electione deferuntur, duplicem habent ſpeciem. Vel enim ex omnibus, aut ex certa ſpecie hominũ, puta ex nobilibus, aut ex agricolis, vt olim in Carinthia, Principes deliguntur: vel ex certa domo & ſtirpe. Prioris generis quàm plurima regna olim fuerunt, & hodie etiam quàm plurima ſunt. Vetus Regnum Aethiopiæ, & ampliſſimum, & latiſſimum, ſi Diodoro lib. 3. Antiquit. credimus, electione delatum fuit. Scribit enim, cùm eligũt Regem Aethiopes, Sacerdotes optimos ex ſeipſis eligere. Quem verò ex eis Deus more quodam bacchantium inuaſerit, & agitauerit, Regem populum creare: & ſtatim flexis genibus, quoniam ſit diuina prouidentia datus, vt Deum honoribus proſequi. Antiquum Regnum Romanum, quod à Romulo cœpit, electione quoque, & hac electionis forma tributum ex Dio-

nyſio lib. 4. colligimus. Populus defuncto Rege, ſenatui deferebat poteſtatem conſtituendæ quam placeret formā reipublicæ. Senatus Interreges creabat, illi virum eligebant optimum, ſiue ex indigenis eſſet ſiue ex ciuibus, ſiue ex peregrinis, quem Regem conſtituerent. Si electum ab eis Regem Senatus probaſſet, populúſque approbaſſet, & auſpicia confirmaſſent, is aſſumebat imperium. Itàque mortuo Numa, non generi eius imperium obtigit, ſed Hoſtilius ſuffragio populi electus eſt; & Anco Martio mortuo, ſuperſtitibus liberis, Tarquinius. Et placet hic inſerere verba ex oratione Seruij Tullij, apud Diony ſium eodem libro, in Tarquinium nepotem Tarquinij, aduerſum quem ſibi Regnum Romanum Tullius adſeruerat.

ἀλλ᾽ ὁ δῆμος ῥωμαίων οὐ τὸν διάδοχον τοῦ πατρὸς, ἀλλὰ τὸν ἄξιον τῆς ἀρχῆς ἐπὶ τὰ πράγματα ἐκάλει. ἡγεῖτο γὰρ τὰ μὲν χρήματα τῶν κτησαμένων εἶναι, τὴν βασιλείαν δὲ τῶν δοκούντων. καὶ τὰ μὲν ὅταν τι παθῶσιν οἱ κύριοι, τοὺς κατὰ γένος ἢ κατὰ διαθήκην διαδόχους προσήκει λαμβάνειν. τὴν δ᾽ ὅταν ἐκλείπωσιν οἱ λαβόντες, τοὺς δεδωκότας ἔχειν.

Imperium quoque Romanum, quod primus Auguſtus oppreſſā republicā conſtituit, ſuffragijs, maximè militaribus, ſole-

bat obtineri. Cornelius Tacitus Hiſtor.lib. de Galbæ in Othonem tranſlato imperio. *Suſcepere duo manipulares imperium populi Romani transferendum, & tranſtulerunt.* Iudicium potiſſimùm Senatus eſſe debebat. Spartianus in Hadriano. *Cum ad ſenatum ſcriberet, veniam petijt, quòd de imperio ſuo iudicium Senatui non dediſſet, ſalutatus ſcilicet præpropere à militibus Imperator, quòd eſſe reſpublica ſine Imperatore non poſſet.* Quod ius poſt tot electiones militares tandem ad ſe redijſſe, mortuo Aureliano, & electo Tacito, quantùm Senatus gloriatus fuerit, refert Vopiſcus in Floriano. *Plinius in Panegyrico, Imperaturus omnibus, eligi debet ex omnibus.* Græcum etiam Imperium inter Principatus, qui electione deferebantur, annumerandum eſt, Mortuo Iouiniano, non ei filius Varronianus ſucceſſit, ſed valentinianus electus Imperator eſt. Zonaras in Leone Chazara refert, ciues Conſtantinopolitanos, & è prouincijs multis congregatos, in Imperatoris gratiam poſtulaſſe, vt filius eius Conſtātinus Imperator appellaretur. At illum viciſſim ab eis petijſſe, ſi id vellent; ne quem alium, niſi ſe, & filium ſuum, ſuámque progeniem in Imperium admitterent, ὡς ἐ δέξονται πω

ἄπερ αὐτοῦ καὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ καὶ τοῦ σπέρματος αὐτῶν ἕτερον βασιλέα. Iuraſſe autem illud non Senatores tantùm, & milites, ſed etiam plebeiã turbam, & mercatores, & opifices & hoc iuſiurandum in publicas literas relatum fuiſſe. Non erat verò neceſſe iuramentum illud interponi, ſi id Imperiũ ſucceſſione deferri conſueuiſſet. Sæpiſſime tam in Occidentis, quàm in Orientis Imperio, Imperatores ſibi conſortes Imperij adſcíſcebant, cũ tantæ moli Imperij ſuſtinendæ non ſufficerent: quo caſu arbitrium magis Principum, quàm exercitus, Senatus, vel populi fuiſſe legimus. Sic Valentinianum Cedrenus ſcribit ingreſſum Bizantinum, cùm eum nonulli hortarentur, vt Collegam imperij adſumeret, reſpondiſſe: *Collegam adſumam, quem voluero*. Et Zonaras in Gratiano, Ammianus Marcellinus lib. 31. referunt; cùm Gratianus, Valentiniani filius, ſolus à patre Imperator appellatus eſſet; mortuo Valentiniano, exercitum Valentinianum eius iuniorem filium, Imperatorẽ ſalutaſſe, quadrimum adhuc puerum. Id autem ægrè tuliſſe Gratianum, quamquam non recuſauerit, quò minus fratrem imperij conſortem haberet, eumque collegam adſciuerit: & quoſdam eius

nes, & in Orientis imperio Patriarcham; & de ea deſignatione in concilio orationem habebant. Zonaras annalium 3. in Tiberio, νόσῳ δὲ φθινάδι περιπεσὼν, ἐν τῷ τρισυναλίῳ φορεάδην, ἐκκομισθεὶς, ἐκεῖ τὸν μαυρίκιον ἀναῤῥηθῆναι. βασιλέα πεποίηκε, παρόντος τοῦ πατριάρχου ἰωάννου, καὶ τῆς συγκλήτου βουλῆς. οὕτω δ' ὑπὸ τῆς νόσου κατειργαστο, ὡς μὴ δὲ δύνασθαι τοῖς συνειλεγμένοις ὁμιλῆσαι. Et cùm Iuſtinus Iuſtinianum Imperatorem decreuit; Patriarcham & primores eum conuocaſſe Zonaras & Cedrenus auctores ſunt. Neque verò tantùm vnum, verùm etiam & plures ſucceſſores eos ſepe ſibi deſignaſſe certum eſt. Plerunque etiam teſtamento tutores donabant filijs ſuis, & de regni ſui adminiſtratione prouidebant: cuius rei obuia ſunt exempla Romano Orientis; & Occidentis Imperio. Nonnunquam mortuis Imperatoribus Auguſtæ eorum viduæ, factione procurato Senatus, exercitus aut eorum, qui plus in aula poterant, conſenſu, eos Imperatores faciebant, quos ſibi maritos optabant. Sic Plotina, Hadrianum; Ariadna, Anaſtaſium; Eudocia Romanum Diogenem Imperatores fecere. Idem etiam faciebant filiæ & ſorores Imperatorum. Pulcheria, Marcianum; Zoë Michaelem Paphlagonem, &

lo Regem, ſenem, liberos non habentem: &,ſi poſtea contingat eum liberos habere, abdicari; ne regnum fiat hereditarium. Contrà verò plura alia regna, & ſunt & fuerunt, in quibus ſi filius Regis, frater, aut conſanguineus, iiſdem virtutibus præditus fuerit, quibus Rex defunctus, non hereditatis, ſed electionis iure, cæteris omnibus antefertur. Qualia eſſe Regna Septentrionalia Olaus Magnus ſcribit lib.8. Hiſtoriæ de gentibus ſeptentrionalibus. Et indubitatum eſſe debet, & Occidentis, & Orientis Imperium ſimiliter prærogatiuam hanc filiorum, & ſanguinis Regij admiſiſſe; cùm ſæpiſſimè in vtroque legamus filium patri in Imperio ſucceſſiſſe, & continuatum ad tertiam vſque & quartam Imperatorum progeniem imperiū. Quinetiam ſæpe apud ſcriptores Rom.hiſt. filij Imperatorum Heredes Imperij appellantur, & Imperium ad eos hereditario iure deuolutum dicitur. Nec aliud in Germanorum Imperio, quod à Carolo Magno originem habet, obſeruatum eſt. Hoc enim etiam electionis iure defertur: ſaltem ab eo tempore, quo ſeptem Principes Germani ius eligendi Imperatorem habuerunt. Et antiqua quoque Regna Ger-

maniæ ſuffragijs deferri ſolita, non obſcurè Cornelius Tacitus lib. de moribus Germanorum ſignificat, dum ſcribit Germanos, Reges ex nobilitate, Duces ex virtute ſumere ſolitos. Nec verò ſolùm in Regnis, quæ iudicio, ſuffragijs populi deferuntur, ſæpe ſibi Principes ſucceſſores deſignauere, prærogatiuam quoque filij habuere: verùm etiam teſtamento de Regnis ſuis diſpoſuere. Quamquam certè nihil aut parum differant ſucceſſorem deſignare, & heredem regni teſtamento ſcribere. Vtrumque verò in Romano Imperio vſurpatum, & ex his quæ ſuprà dixi, & ex alijs quæ paſſim occurrunt manifeſtum eſt. In alijs autem regnis, quæ ſuffragijs deferri nemo non fatetur, ſæpe factum eſſe, operæpretium erit oſtendere. Albertus Krantzius cap. 4. lib. 2. Daniæ & cap. 45. lib. 1. Sueciæ ſcribit, teſtamento Haldani Regis Daniæ, & Sueciæ, Vnguinum Gothorum Regem illa regna adeptum eſſe. Cromerus lib. 6. de rebus geſtis Polonorum refert Boleſlaum Criſpum Regem Poloniæ morientem, tutelam filij, Cazimiro fratri commendaſſe, eúmque heredem filio ſuo ſubſtituiſſe. Et lib. 12. Cazimirum II. Regem Poloniæ, Ludouicum

Regem Hungariæ ſucceſſorem ſibi in regno Polonorum deſignaſſe, ſi ipſe ſine liberis maſculis decederet. Quòd ſi Ludouicus quoque nullos maſculos liberos relinqueret, voluiſſe, vt Ioannes, Stephani fratris eius filius, Rex Polonorum eſſet. Et lib. 16. mortua Heduige Regina, cùm Vladiſlaus Iagello Rex, Lithuaniam patriam repetere cogitaret, quòd alienus, amiſſa vxore, nihil iam hereditarij iuris in regno haberet, proceres Polonos eum adijſſe; oſtendentes ei malo remedium, quod ipſa etiam Heduigis Regina moriens iudicaſſe ferebatur, nimirum vt Annam Vuilielmi, Ciliciæ Comitis filiam, cuius ſororem iam Sigiſmundus Rex Hungarorum poſt Mariam in matrimonio habebat, ſecundam vxorem duceret. Eam enim iuſtàm regni heredem eſſe, quòd Cazimiri Regis neptis eſſet. Quæ omnia, Regni potiùs eſſe, quod ſucceſſione, quàm eius quod electione defertur, nemo, vt opinor, negabit. Sed conſiderandum eſt, deſignationum ſucceſſoris, diſpoſitionum teſtamentariarum, prærogatiuæ filiorum, & regij ſanguinis, aliam eſſe vim in regno ſucceſſiuo, aliam in electitio. Non aliud ſibi præſidium quærūt in regno ſucceſſiuo,

quoniam per ſe ſolæ ſubſiſtunt; ſi vel in generali conuentu Regni, vel Procerum voluntate approbatæ fuerint, hoc tantùm eis auctarij & additamenti loco eſt. In regno verò, in quo præualent ſuffragia populi, poteſt iure ſuo aliud velle populus; & niſi ad voluntatem Principis acceſſerit populi voluntas, infirmabitur deſignatio facta à Principe, atque irrita fiet vltima Principis diſpoſitio. Hoc exemplis, quibus nunc approbauit populus deſignationem factam à Principe, vel vltimam eius diſpoſitionem; nunc verò improbauit, demonſtrare libet. Sed aliunde quàm ex Romana hiſtoria illa exempla petenda ſunt. In Romano enim imperio pollebant magis factiones militares, vel aulicæ, quàm iuſta iudicia Senatus, & populi: quæ res frequentes rebelliones, & tyrannides in eo imperio pariebat, & indignorum, ignobiliúmque virorum, in Principes, & Imperatores creationes. Albertus Krantzius cap. 24. lib. 6. Daniæ ſcribit, Danos conſenſiſſe Valdemaro 1. filium Kanutum in conſortem Imperij adſciſcenti. Contrà verò idem auctor ſcribit cap. 21. lib. 8. Daniæ, cùm Ericus x. cuius adoptioni factæ à Margareta, trium regnorum Regina, Dani

conſenſerant; nepotem ſibi ſubrogare vellet, id eum à Danis impetrare non potuiſſe. Itaque quod de Vnguino Gotthorum Rege ſuprà retuli, ideo vim habuit, quòd teſtamentum Haldanj Procerum voluntate confirmatum eſt, vt idem Krantzius teſtatur. In regno Poloniæ, ratam habuere Poloni partitionem regni factam à Leſco III. inter filium legitimũ Popielum, & filios illegitimos, vt teſtatur Cromerus lib. 20. & Mathias de Michouia lib. 1. Chronic. Poloniæ. Partitionem etiam factam à Boleſlao 3. in comitijs generalibus approbarunt, vt idem Cromerus refert lib. 5. & 6. deſignationem pariter Ludouici Hũgarorum Regis factam à Cazimiro II. de qua ſuprà dixi. Et vel in comitijs regni, Reges Poloni ſibi ſucceſſores deſignabant: vt Ludouicus Hungarorum & Polonorum Rex in comitijs in Scepuſio habitis deſignauit ſibi ſucceſſores in regno Polonorum, Mariam filiam natu maiorem, cum Sigiſmundo ſponſo eius Marchione Brandeburgenſi, Cromerus lib. 13. non aliter atque Imperatores Romani plerunque in Senatu Cæſares deſignabant; vt Nerua Traianum Cæſarem in Senatu dixit: Dion Caſſius in Nerua: Vel etiam extra comitia

deſignabant, quos poſtea comitia approbarent:. Cromerus lib 15. *Perſolutis Vladiſlao Principi iuſtis, nihil eorum mutatum eſt, quæ is viuens de Principatu conſtituerat.* Idem lib. 19. *Conuenerat inter affines, adſentiente Senatu Polono, vt ſi Vuladiſlaus nullos mares liberos ſuſciperet, Regnum Poloniæ poſt eius mortem, dotale Fredericus gener, etiam ſi ante nuptias ſponſa moreretur, acciperet.* Quandoque tamen Comitia Poloniæ improbarunt deſignationem, aut diſpoſitionen factam à Principe. Veluti quod ſuprà dixi, Boleſlaum Criſpum morientem de tutela filij ſui, & regni ſubſtitutione diſpoſuiſſe; irritum factum eſt, in cõuentu poſt eius mortem Cracouiæ habito de creando nouo principe; prælato altero fratre Boleſlai natu maiore Mieriſlao, vt ſcribit Cromerus lib. 6. Eodem modo cùm in regno Hungariæ, quod Hungari contendunt ſuffragijs deferri, Ladiſlaus Rex, quem Hungari ſanctum fuiſſe dicunt, reliquiſſet duos fratres Almum, & Colomannum; & Almum, Regem deſtinaſſet: Comitia Hungariæ Colomannum natu maiorem, Almo iuniori prætulerunt. Idem etiam obtinuit in prerogatiua filiorum de qua ſuprà dixi. Scribit Cromerus lib 19. Polonos

in comitijs, Regi Vuladiſlao Iagelloni promiſiſſe, ſe altervtrum ex eius filijs, vter aptior regno adminiſtrando fore videretur, Regem creaturos. Vnde apparet in regno Poloniæ, illos ex Regum liberis, mortuis Regibus ſucceſſiſſe, quos ipſi Poloni elegiſſent. Idemquè fuit in regno Daniæ. Albertus Krantzius cap. 45. lib. 15. Daniæ refert, Haraldum. 7. inter Suenonis 2. filios natu maiorem, ætate ſuffragante patri ſuffectum eſſe, in conuentu regni apud Iſoram portum. Contrà verò cap. 6. lib. 5. iuniorē ex filijs Erici xv. Nicolaum regnum patris adeptum eſſe. Idem etiam cap. 20, lib 5. tradit omiſſis ſanguine proximis, ipſo etiam filio Regis proximè defunċti Suenone Ericum vi. Regem Daniæ electum. & cap. 24. eiuſdem libri, mortuo Erico vi. eodem Suenone filio Erici v. ad regnum aſpirante, cùm properāter regium commendare nomen amici contenderent, negaſſe Olanum, cognomine Balbum, regiam appellationem, niſi populo (cui ius eſſet decernere) prouenturam. Filios verò Regum quandoque in regnis huiuſmodi præteritos fuiſſe exiſtimo, non tam quòd ſuffragijs illa regna deferrentur, quàm quòd populi metuerent, ne conti-

nua ſucceſſione filiorum Regum, regnum tandem ſucceſſiuum fieret. Quinetiam extitere populi, qui mortuo Rege, ſuperſtitibus liberis, reipublicæ formam immutauerint: vt Longobardi mortuo Rege Clephone, relicto filio Authari, per decem annos ſub ducibus fuerunt: communi verò conſilio poſteà Autharim ſibi Regem elegerunt; vt refert Paulus Diaconus cap. 17. lib. 2. & cap. 8. lib. 3. de geſtis Longobardorum. Regnum Gotthorum in Hiſpania ſuffragijs quoque delatum fuit. Nam vt ſcribit Ioannes Vaſæus in Chronicis Hiſpaniæ, non fuit mos apud illos, vt filij neceſſariò patribus in regno ſuccederent; ſed vt hi regnarent, qui à proceribus, & populo digni regno iudicati fuiſſent. Eundem morem fuiſſe in regno Oſtrogotthorum in Italia exiſtimo. Nam frequenter legimus Oſtrogotthos ſibi Reges elegiſſe. Et idem quoque iudico de regno Sueuorum in Hiſpania: quamuis de eo non planè conſtet. Regnum autem Arabum electione obuenire ſolitum teſtatur Chalcondylas lib. 3. de rebus Turcicis.

De ſecunda ſpecie Regni, quod electione defertur.
CAPVT. IX.

Regnum electiuũ eſſe, in quo Reges ex certa domo vel ſtirpe eliguntur. Olim eius generis fuit regnum Scotiæ. Nunquam regnum Franciæ. Antiquum regnum Sidonum fuiſſe conijcitur. Lex apud Perſas non diſsimilis. Quid interſit inter hoc poſterius genus regni electiui, & prius.

ALTERAM ſpeciem Regni electiui eſſe dixi, quando ex vna tantùm ſtirpe, & domo Reges eliguntur. Tale regnum, non ſucceſſione, ſed electione deferri dico: quia non tam genus, aut domus regnum præbet, quàm iudicium procerum, vel populi: eſt enim in poteſtate eligentium, in quem velint, ex ea domo, & ſtirpe, poteſtatem regiam conferre. Huius generis fuit regnum Scotiæ, cùm primum coepit. Hector enim Boëthius lib. 1. hiſtoriæ Scotorum ſcribit, Ferguſio Rege electo, qui primus Scotiæ Rex fuit, Scotos hoc iuſiurandum ei præſtitiſſe, ſe non paſſuros in Albione quemquam, niſi Ferguſiani ſanguinis regnare. Mortuo verò Ferguſio, conuentum regni Ferlegum primogenitum reieciſſe, & Mainum natu minorem elegiſſe, cum Scoti libera haberent ſuffragia. Hoc tamen regnum progreſſu temporis ſucceſſiuum factum eſt. Si regnum Franciæ electiuum

vnquam fuit; fuit huius generis, non prioris. Eginhartus initio vitæ Caroli Magni: *Gens Merouingorum, de qua Frăciæ Reges creare ſibi ſoliti erant &c.* Sed in cap. 13. ſucceſſiuum fuiſſe etiam in illa priore Regum ſtirpe demonſtratur. Antiquum Sidonum regnum conjici poteſt ad hoc genus electiui regni eſſe referendum, ex his quæ Q. Curtius lib. 4. de rebus geſtis Alexandri ſcribit: Ephæſtioni ab Alexandro permiſſum fuiſſe, vt quem Sidones digniſſimum arbitrarentur, Regem conſtitueret: fuiſſe verò Ephæſtioni hoſpites claros, inter ſuos, iuuenes, qui facta ipſis poteſtate regnandi, negauerunt quenquam patrio more in id faſtigium recipi, niſi regia ortum progenie. Hoc Diodorus Siculus de Tyrijs tradit: ſed de his aliter Iuſtinus lib 18. quod propiùs vero videtur. Non admodum diſſimilis eſt ea lex, quam apud Perſas inuiolabilem extitiſſe ſcribit Cedrenus in Theophilo, ne quis in eos regnum occuparet, niſi regio ſanguine ortus eſſet. Inter hæc duo genera electiui regni, parum intereſt. Prius merè electiuum eſt. Poſterius habet quid ſucceſſionis cum electione commixtum, ſed præualet electio, vt dixi. Et poteſt contingére in hoc poſteriori genere,

vt ius ſuffragij ad nihilum recidat, ſi mortuo Rege, vnus ſolus ex regia domo ſuperſit: quo tamen caſu forma electionis in eo ad regnum promouendo ſeruanda erit.

Duas eſſe ſpecies Regni, quod ſucceſſione defertur, & de priore eius ſpecie.

CAPVT X.

Origo regnorum. An primùm fuerint electiua, an verò hereditaria. Ex electiuis hereditaria, ex hereditarijs electiua fieri. Poſſe ab ipſa origine eſſe ſucceſſiua. Duplex genus regni ſucceſſiui. Quæ regna antiqua hereditaria fuerint. In regnis hereditarijs poſſe diſpoſitione patris repelli primogenitos à regni ſucceſſione, non ſolùm ſi Reges auctores regni ſint, verùm etiam & ſi ſucceſſores. Non licere tamen diſponere in alios, quàm eos qui ex genere regio ſunt, quandiu regia ſtirps manet. Nunquam in exteros Principes. Quæ noua regna ſint hereditaria, aut fuerint.

THVCIDIDES lib. 1. hiſtoriarum, de antiquo Græciæ ſtatu tractans tradit quod in Græcia πρότερον δὲ ἦσαν ἐπὶ ῥητοῖς γέρασι πατρικαὶ βασιλεῖαι. Fuerint ne verò primùm electi Reges; & hi poſtea regna hereditario iure ad poſteros ſuos trãſmiſerint, vt velle videtur Ariſtoteles lib. 3.

Politic. cap. 10. an verò regna ab origine ſua hereditaria fuerint, non planè conſtat. Id arbitror fore ſine controuerſia, exceptis his, qui bello populos deuicerunt; primos Reges ob benemerita in populos Reges extitiſſe; vel quia armis eorum libertatem protexerant, aut ex ſeruitute eos eripuerant; aut imperia ampliarant: vel etiam quòd eos diſperſos in vnum congregarant, aut agros eis & ſedes ad habitandum tribuerant, aut artes ad vitam neceſſarias adinuenerant; aut etiam induſtria populi beneuolentiam demeruerant, vt eodem loco & lib. 5. cap. 10. Ariſtoteles exiſtimat. Herodotus lib. 1. ſcribit à Medis concilio habito, Deiocem Regem electū quòd incorruptè iudicaret: ei verò Phraortem filium; Phraorti, Ciaxarem; Ciaxari, Aſtiagem ſucceſſiſſe. Nam electis Regibus, non ſolùm illis, verùm etiam & eorum poſteris plerunque populi principatum ſeruant: cùm ſibi perſuadent fore, vt qui ex talibus viris nati ſunt, & ſub his educati, parentum ſuorum veſtigijs inhæreant. Quòd ſi aliquando acciderit, vt diſpliceāt populis priorum Regum poſteri; exinde ſcribit Polybius lib. 6. inſtituere populos Principum & Regum electionem.

Vnde accidit ſæpe, vt ex electiuis hereditaria; ex hereditarijs verò electiua regna fiant. Quamobrem, cùm legimus primos Reges in aliquo regno electos à populo fuiſſe; non protinus regnum illud ſuffragijs deferri ſolitum iudicandum eſt: potuit enim progreſſu temporis ex electiuo ſucceſſiuum fieri: vt, ecce, Regnum Burgundiæ, quod à Boſone cœpit, initio electiuũ fuit, vt apparet ex electione Ludouici filij Boſonis, quæ extat in Annalibus Burgundiæ: poſteà verò hereditarium factum eſt. Nam Rudolphum vltimum Regem Burgundiæ legimus heredem inſtituiſſe Conradum Imperatorem, fraudatis etiam proximis heredibus. Ex diuerſo quando legimus aliquem in regno ſucceſſiſſe; heredem in regno extitiſſe, tempora diligenter conſideranda ſunt. Nam quod erat hereditarium, potuit poſteà ſuffragijs deferri: vt de Imperio Romano, quod à Carolo Magno cœpit, auſim dicere in progenie Caroli Magni ſucceſſiuum fuiſſe; poſteà verò placuiſſe, vt ſuffragijs deferretur. Verùm tamen, non ſolùm ex electiuis regnis fiunt regna ſucceſſiua, ſed etiam ab origine regna ſucceſſiua eſſe poſſunt: vt meritò reprehendendi ſint, qui regna he-

reditaria pòſt electiua fuiſſe ea ratione dicunt; quòd ab his illa promanauerint. Populus enim qui regio imperio nõ regitur, ſi optimatum vel popularis dominationis pertæſus Regem ſibi conſtituat; & non ſolùm ei, verùm etiam eius generi & poſteris regnum deferát, erit regnum ab initio ſucceſſiuum; ſiue formam aliquam & legem ſucceſſionis populus præſcripſerit, ſiue nullam preſcripſerit. Plurimum tamen intereſt, an aliquis præſcriptus ſit lege, aut conſuetudine vſurpatus ſuccedendi ordo: an verò nullus præſcriptus ſit. Nam vbi nullus extiterit, erit Regis libera de regno diſpoſitio, in quem velit liberorum principatum conferre: ſtante verò eiuſmodi lege, aut cõſuetudine, non erit; nec poterit Rex ita de regno diſponere, vt à Legis, aut conſuetudinis forma recedat. Ex quo exurgit duplex regni ſucceſſiui ſpecies. Aut enim ex teſtamento, vel ab inteſtato nullo condito teſtamento Regi ſuccedítur: aut iure legis, vel conſuetudinis. Difficile eſt in tanta obſcuritate rerum, qua premimur, Latent enim omnia ferè iura regnorum, conſtituere, quæ regna ad hoc, aut ad illud genus ſucceſſiui regni referenda ſint. Antiquiſſima illa regna Aſſi-

riorum, Medorum, Indorum, Lydorum, Sycioniorum, Argiuorum, Corinthiorum, Aegyptiorum ex genere deferri ſolebant: ſed vtrum ex diſpoſitione patrum filij in his regnis ſucceſſerint, an verò quòd ita lege, aut conſuetudine obtineret, incertum, vt opinor, omnino eſt. Apud Perſas legimus Cyrum, Cambyſi primogenito regnum dediſſe, vt ſcribit Xenophon libro 8. Κύρȣ παιδείας, Darium, Artaxerxi itidem primogenito, Artaxerxem Dario primogenito quoque; & apud Parthos. Iuſtinus lib 41. ſcribit, mortuo Pampacio Parthorum Rege, filium maiorem natu Pharnacem more gentis heredem regni extitiſſe: Pharnacem verò morientem poſteà, pluribus filijs relictis; his præteritis, fratri Mithridati, inſignis virtutis viro imperium reliquiſſe, ratum ſe plus regno, quàm patrio nomini debere, & potiùs patriæ, quā liberis eſſe conſulendum. In ſecundo regno Perſico, quod deuictis Parthis, ab Artaxerxe cœpit, Procopius lib. 1. de bello Perſico refert Cabadem Regem Perſarum cùm filium eius natu maiorem, ætatis gratia, lex vocaret, & eum exoſum haberet, Coſroem tertiogenitum ſucceſſorem ſcribi iuſſiſſe, & ſtatim deceſſiſſe. Poſt funus

autem regium elatum, & iuſta parenti reddita, Coſroem legi parentis confiſum, illico regnum inire paratum fuiſſe: niſi Mebodis auctoritas prohibuiſſet, adſeuerantis nihil in hoc genere temerè fieri oportere, ſed de optimatum, & magiſtratuum ſententia, vt res ordine procedens perpetuò eſſet duratura. Itaque Senatu congregato Perſarum, Mebodem Cabadis commentarium recitaſſe, illos verò virtutis Cabadis,& officij memores,Coſroem Regem Perſarum declaraſſe. At contrà Coſroes II. cùm reiecto maximo natu Syroë, alteri filio nomine Medarſæ regnum tradere vellet, ſibi ipſi perniciem attulit, vt refert Zonaras in Heraclio. In tertiò autem regno Perſico, quòd deuictis Tartaris, Vſumcaſſanum auctorem habuit, Temmaſus decedens, teſtamento filium tertio-genitum, regno deſtinauit: Sed aduerſati ſunt regni Proceres, & rei indignitate cõmoti, Muhamet Hodabendo primogenito regnum detulerunt, & eo recuſante, Iſmaeli ſecundo filio. Ex quibus colligitur, in regno Perſico diſpoſitionem de ſucceſſione regni penes Reges extitiſſe, prærogatiuam verò primogenitum, more illius gentis habuiſſe; hac tamen quandoque diſpo-

diſpoſitionem patris ſuperiorem fuiſſe. Quamobrem vbi Rex de regno teſtatus non fuerat, primogenitum ſucceſſiſſe palam eſt. Vbi autem teſtatus fuerat, in alium filium, quàm in primogenitum; plerunque is; quem Regem declarauerat, excluſo primogenito, ſuccedebat. Refert Herodotus lib. 7. cùm Darius Rex Perſarum expeditionem in Græciam prępararet; quoniam non priùs ex inſtituto Perſarum, Rex in expeditionē proficiſci poterat, quàm regni ſucceſſorem declaraſſet, ortam inter filios eius de principatu contentionem, cùm Artabazanes primogenitus apud vniuerſos homines obtinere diceret, vt maximus natu liberorum principatum paternum aſſequeretur: Xerxes autem ſe genitum è Dario iam Rege, & Perſarum imperium obtinente, allegaret: viciſſe vero Xerxem, quòd eum, tanquam iuſta dicentem. Darius Regem declarauerit. At contrà Artaxerxes Mnemon maximus natu liberorum Darij II. vicit apud patrem, Cyrum iuniorem fratrem, cùm mater eorum communis Paryſatis, illum Dario priuato, hunc vero Dario regnante, peperiſſet. In regno Macedonū, notum eſt ex Liuio lib. 40. quid Perſeus, filius Philippi, ætate ma-

ior, Demetrio fratri dixerit. *Regnare vtique vis: huic ſpei tuæ obſtat ætas mea, obſtat gentiū ius, obſtat vetuſtus Macedoniæ mos, obſtat verò etiam patris iudicium.* Et tamen, quod ſummè notandum eſt, Perſeus pellice, Demetrius iuſta matre familias natus erat. Itaque cùm Macedones Demetrio poſt mortem patris règnum deſtinarent, vicit Perſeus apud patrem, qui ſui arbitrij eſſe voluit, quem heredem regni relinqueret, vt ſcribit Liuius lib. 39. In eodem regno Iuſtinus lib. 7. ſcribit, Argæum moderatè, & cùm amore populi adminiſtrato regno, ſucceſſorem filium Philippum, reliquiſſe, qui immatura morte raptus, Europ paruulum admodum inſtituit heredem. Et illæ ſuſpiciones & contentiones, quæ inter Philippum, & filium Alexandrum, contractis à Philippo nouis nuptijs interceſſerunt; addo etiam coniurationes filij in patrem, non minimum ponderis habuiſſe in eo regno iudicium Regum Macedoniæ de ſucceſſoribus ſuis, demonſtrant. Idem fuit in Aegypti regno, quod à Ptolomæo Lagi filio originem habuit. Iuſtinus enim lib. 16. ſcribit, Regem illum Ptolomæum, auctorem illius regni, contra ius gentium minimo natu ex filijs regnum

tradidiſſe; eiúſque rei populo rationem reddidiſſe, cuius non minor fauor in accipiendo, quàm patris in tradendo regnum fuit. Quidam, qui de republica libros ediderunt, ſcribunt, illud ſuo iure Ptolomæũ facere potuiſſe, quòd primus ex ſuo genere regnauerit, & legem ita teſtamento, regno acquiſito dare potuerit, vt in reliqua priuata hereditate. Quamobrem ſic conſtituunt. Quando Rex quæſitor, & auctor regni eſt, non ſucceſſor, poteſt quem voluerit ex liberis ſuis heredem ſcribere: ſi verò ſucceſſor ſit, non poteſt. Et id confirmant exemplo Dauidis. Dauid enim primus Rex quæſitor regni, Salomonem iuniorem filium, non adſtrictus adhuc vlla ſucceſſionis lege, præpoſuit alijs. At quã rectiùs, vt opinor, diſtinguetur: An Rex aliqua ſit lege ſucceſſionis adſtrictus; quæ in eo regno primogenito regnum deferat; vt tunc alium, quàm filium primogenitum heredem in regno ſcribere non poſſit, ſiue Rex ipſe auctor regni ſit, ſiue ſucceſſor: an verò nulla ſit huiuſmodi lex in regno, quo caſu liberam habeat de regno ſuo diſpoſitionem, & alium filium quàm primogenitum heredem ſcribere poſſit. Quid autem illud eſt lege ſucceſſionis ad-

ſtringi Principem, ſi nulla lex ſit in regno de ſucceſſione regni, maximè ſi de priuatis hereditatibus nulla quoque in eo lex ſit, quæ prærogatiuam primogenitis deferat? Nam quamuis pleræque gentes hanc prærogatiuam primogenitis tribuant, à Deo vt ius primogenituræ iuris-gentium eſſe dicatur: tamen in ſucceſſionibus regni, quēadmodum & in priuatis, magis ius ipſius regni, quàm ius, quo aliæ gentes vtuntur, ſpectandum eſt. Quòd ſi poteſt auctor regni teſtamento hanc legem acquiſito regno dicere, lex illa, vt opinor, in regno, quandiu eius poſteri regnabunt, manebit: aut certè, exemplo auctoris ſui, ipſi de regno ſuo liberè diſponere poterunt? Et ita quoque in regno illo Aegypti Iuſtinus docet lib. 39. alterum Ptolomæum Regem regnum illud reliquiſſe vxori, & vni ex filijs ſuis, quem illa elegiſſet, quæ, cùm pronior in minorem filium eſſet, compulſa eſt à populo maiorem eligere. Et Aulus Hircius lib. de bello Alexandrino, ſcribit, Cæſarem, Aegypto, atque Alexandria potitum, reges conſtituiſſe, quos Ptolomæus teſtamento ſcripſerat, atque obteſtatus erat populum Romanum, ne mutarentur. De regno Dauidis, & Hebræorum,

commodùs ſequenti capite tractabo. Sed in Epiro, vbi Diodorus Siculus lib. 19. ſcribit à Neoptolemo filio Achillis ad Æacidam, qui pulſus regno fuit, quod partes Olympiadis matris Alexandri foueret, ſemper filium patris principatum excipientem in regno mortuum, iudicium paternū, non minimi momenti fuiſſe, in deſignando ſibi ſucceſſore conjicio ex eo, quod Pyrrhus interrogatus ab vno ex filijs ſuis, cuinam ex his regnum ſuum relicturus eſſet, reſpondit, ſe ei relicturum, qui acutiorem enſem haberet. Pauſanias quoque in Atticis ſcribit, Alcetæ filios inter ſe diſſidentes, non priùs concorditer regnaſſe, quàm æqualiter inter ſe regnū partiti eſſent. Partitio verò, & diuiſio non fit regni, quod lege primogenito defertur. Non abſimile fuiſſe vetus Regnum Athenienſium exiſtimo. Pauſanias in Atticis ſcribit, Theſeum, cum Phædram vxorem ducturus eſſet, veritum ne qui ex ea gignerentur liberi, aut ipſi, Hyppolyto, aut, illis, Hyppolitus imperaret: ob eam rem Hyppolytum Trezenem ad Pytheum amandaſſe, tum vt apud illum educaretur, tum verò, vt in eius regnum ſuccederet: & in Achaicis, Cùm è vita diſceſſiſſet Erech-

teus, eius filijs de regno diſceptantibus, arbitrum Xuthum extitiſſe, qui cùm Cecropi natu maximo regnum adiudicaſſet, eum alij Erechtei filij è finibus exegerunt. In Elide refert Pauſanias in Eliacis, priore libro, Endymionem Elidis ſecundum Regem, cùm tres haberet filios Peonem, Epeum, Aetolum, propoſuiſſe filijs curſus certamen in Olympia; & cùm victor ex eo diſceſſiſſet Epeus, Regem fuiſſe. Erat igitur in arbitrio Regis, quem vellet ex filijs ſuis regno præponere. In Tyro cùm Rex Tyriorum deceſſiſſet, filio Pygmalione, & Eliſſa filia, quæ & Dido, hęredibus inſtitutis, populus Pygmalioni admodum puero regnum tradidit, vt ſcribit Iuſtinus lib. 18. De Armenia iudicium facere poſſumus ex his quæ ſcribit Appianus lib. de bellis Mithridaticis, Pompeium Tigrani patri conciliaſſe filium, quem iuſſit ręgnare in Sophena, Gordenáque; cæteram Armeniam patri addixiſſe, ea lege, vt illum filium heredem relinqueret. In Creta ſcribit Dictis Cretenſis lib. 1. de bello Troiano, Atreum natum ex Minoë, teſtamento quicquid auri, atquę argęnti, & pecorum habebat, nepotibus quos filiæ genuerant ex æquo diuidendum reliquiſſe, excepto

ciuitatum & terrarum imperio. Hæc Idomeneus cum Merione Deucalionis, Idomeneus alter Molius, iuſſu eius ſeorſim habuere. Inter huius generis regna rectè referuntur quæ legimus teſtamento donata fuiſſe populo Romano, Bythinia, Cyrene, Pontus, Alpes Cottiæ, Aſia minor, Cappadocia. Etiam ſi quando donatum, vel in dotem datum aliquod regnum legimus, ad hoc genus ſucceſſiui regni illud pertinere dicendum eſt. Quid enim intereſt an Princeps teſtamento, an verò donatione, vel alio genere contractus de regno ſuo diſponat? Sed ſi regnum vel electiuũ ſit, vel lege ſucceſſionis deferatur, non licet Principi de regno ſuo, inuito populo, vel teſtamento, vel quolibet genere contractus diſponere: quia & ſi legibus ſolutus ſit, lege tamen illa qua ei regnum delatum eſt, & Regibus in eo regno deferri ſolet, adſtringitur. Vnde rectè Proceres Hungariæ obſtiterunt Vladiſlao Regi, Regnum Hungariæ conſtituenti in dotem vnicæ filiæ: quoniam hoc regnum electionis iure obtineri Hungari contendunt, vt ſupra in cap. 8. dixi. Sed etiam exiſtimo vbi regnum hereditario iure obuenit, non licere Principi, teſtamento aut alio quocunque

modo in alios Principes quàm eos qui ex genere regio ſunt, quandiu ſubeſt regius ſãguis, principatum ſuum conferre: quod latiùs tractabimus infra in cap. 14. Potiſſimùm verò in exteros Principes, quorum imperio ne ſubditi ſui quandoque ſubjiciantur, omni ſtudio niti debet. Hac enim de cauſa maximè Reges conſtituuntur, vt ab exterorum Principum & populorum iniurijs, incurſionibus, deprædationibus, dominatione, imperio, ſubditos ſuos tueantur. Qua ratione Hiſpani, cum Alphonſus Caſtus Rex liberos non habens, regnum ſuum donaret Carolo Magno, ea lege, vt Arabes ex Hiſpania expelleret, donationem illam irritam fecerunt, dicentes ſe malle mori liberos, quàm in Francorum degere ſeruitute, aut per eos incolumes eſſe, vt referunt Rodericus Toletanus cap. 10. lib. 4. & Lucius Marineus Siculus lib. 7. de rebus Hiſpaniæ: quanuis, quòd incolumes reliquiæ Hiſpaniarum, poſt luctuoſam illam cladem, qua regnum Gothorum in Hiſpania deletum eſt, extiterint, ope maximè Francorum factum eſſe Hiſpani, ſi quis apud eos veritatis amor reſidet, ingenuè fateri cogantur. Regnum illud legionis in Hiſpania, here-

ditarium fuiſſe ex Ioanne Vaſæo in Chronicis Hiſpaniæ apparet. Scribit enim eundem Alphonſum caſtum, iam animam agentem, eorum ſe Regem declarari, ac ſalutari feciſſe Ranimirum Veremundi diaconi Regis filium, cum alioqui regni ſucceſſio ad Bernardum Carpienſem nepotem ſuum ex ſorore Ximena, lege rediret. Regna Nauarræ, & Caſtellæ paternis teſtamentis, & hereditario iure antiquitus delata fuiſſe certum eſt. Scribunt Rodericus Toletanus, Ioannes Vaſæus, Marineus Siculus. Cùm Garſias primogenitus Sancij majoris, Regis Nauarræ, matrem heredem Comitatus Caſtellæ, adulterij accuſaſſet; fratre ſuo Fernando fratris ſcelus non detegente, Ranimirum nothum priuignum, obtuliſſe ſe duello, quo Reginæ pudicitiam vindicaret. Confitente poſtea calumniam Garſia, matrem peperciſſe filiis ea lege, vt Garſias in regno Caſtellæ, quòd ab eo tempore regnum eſſe cœpit, & ſuum erat, non regnaret: quod & ita contigit. Nam cum pater regnum inter filios ſuos partiri decreuiſſet; ita diuiſio facta eſt, vt Garſiæ primogenito regnum Nauarræ & Ducatus Cantabriæ obuenirent: Fernandus Caſtellæ regnũ haberet: Regina verò

Aragoniam, quæ eius erat, ex donatione propter nuptias, dedit Ranimiro priuigno, qui pro ea ſe duelli periculo obiecerat, idipſum Rege Sancio confirmante: vnde Reges Aragonum originē habuerunt. Dictum quoque Fernandum Regem Caſtellæ & Legionis partitum eſſe regnum inter filios ſuos refert Rodericus Toletanus cap. 11. lib. 6. & idem feciſſe Alphonſum 7. dictum Imperatorem Hiſpaniarum, idem auctor cap. 7. lib. 7. teſtatur. Aragonum etiam regnum teſtamento deferri ſolitum, certiſſimum eſt. Scribit Marineus Siculus lib. 10. Iacobum 1. Aragonum Regem teſtamentum condidiſſe, in quo Petrum filium natu maiorem in regno Aragonum, Valentiæ, & Comitatu Barcinonæ heredem inſtituit, Iacobum filium minorem in regno Maioricarum, Ruſcinonæ Ceritaniæ, Montiſpeſſulani. & lib. 11. Alphonſum 3. morientem heredem inſtituiſſe Iacobum fratrem Regem Siciliæ. Sic enim pater eius in teſtamento præceperat, vt ipſe, ſi ſine liberis decederet, Iacobum fratrem Regem Siciliæ heredem haberet. Iacobus autem factus Rex Aragoniæ, Siciliæ regnum Friderico fratri minori renunciaret: & eodem lib. Iacobum 11. heredem

ſibi, & ſucceſſorem reliquiſſe Alphonſum filium abdicato Iacobo primogenito, qui contra Sardos rebelles in Sardiniam miſſus à patre, expeditionem Sardiniæ, & regnorum ſucceſſionem ſimul recuſauerat. Scribit quoque Petrum cognomento Cæremonioſum nimis indulgentem ſecundæ vxori Sibilliæ, Ioannem filium primogenitum abdicare conatum; ſed obſtitiſſe nobiles regni, & populos. Et in fine eius libri, Alphonſum V. Aragonum, & Siciliæ regnum, cæteróſque principatus reliquiſſe Ioanni fratri Regi Nauarræ; ſic enim Ferdinandus pater eius teſtamento mandauerat. Ex quibus apparet idem etiam in regno Siciliæ obtinuiſſe: addam & in Neapolitano, vt ex Colenuccij, & aliorum auctorum hiſtorijs liquidò conſtat: Siue Normanam domum, ſiue Sueuicam, ſiue Andegauam, ſiue Aragoniam ſpectemus. Sed & antiquum regnum Siciliæ hereditarium fuit. Gelon enim Hieroni fratri maiori natu regnum tradidit, Hieron Thraſibulo, vt refert Didorus Siculus lib. II. quod frequens fuit in tyrannidibus, vt tyranni in filios ſuos vel fratres, tyrannides ſuas, iure hereditario tranſmitterent. Antiquitus etiam regnum Angliæ conſueue-

rat iure hereditario haberi. Nam Guilielmus nothus teſtamento eam reliquit Guilielmo ſecundo genito excluſo primogenito. Nec dicendũ eſt id ei licuiſſe, quoniã eam armis ſubegerat, ex eorum ſententia, qui dicunt, auctorem regni poſſe de regno ſuo diſponere, non ſucceſſorẽ: quam ſuprà cõfutauim⁹. Ipſe enim Guilielmus nothus ab Eduardo Rege teſtamẽto heres inſtitutus fuerat: vnde illud regnũ tanquã hereditarium vendicauit vt ſcribit Polydorus Virgil. lib. 8. Et regnum illud hereditariũ fuiſſe probat etiam, quod apud Albertum Krantzium cap. 18. & cap. 19. lib 4. Daniæ legimus Edelradum Regem Angliæ teſtamento nepotes ex filia ſcripſiſſe heredes, matris eorum, & filij ſui Adelſtani nulla habita ratione. Sed Adelſtanum paterno teſtamento ſanguinis iura oppoſuiſſe. Nec de veteri regno Burgundiæ, cuius auctor fuit Gondiochus, nec de regno Britanniæ certum aliquid comperimus, præterquam in illo, mortuo Gondiocho, filios eius partiri inter ſe regnum voluiſſe, quod, vt ſuprà dixi, hereditarij regni indicium eſt. Non placet vel in hoc, vel in aliud genus ſucceſſiui regni, de quo mox dicturus ſum annumerare Turcarum imperium. In eo

námque occupantis melior eſt conditio, eius ſcilicet qui primus ad cædem fratrum peruenerit. In omnibus regnis Africæ iudicium patris præualere, nec ſuffragijs populi vllum Regem eligi tradit Leo Afer lib. 3. deſcriptionis Africæ.

De ſecunda ſpecie Regni, quòd ſucceſsione defertur.

CAPVT. XI.

Poſterius genus ſucceſſiui regni, quod lege, vel conſuetudine defertur: veluti primogenito aut proximiori agnato in regno Hebræorum, Lacædemoniorum, Gallogræcorum & aliarum tandem nationum. Quo modo paulatim in plurimis regnis recepta fuerit hæc ſucceſſionis ratio, honoribus titulis & principatibus delatis primogenitis aut proximioribus. Differentia inter illorum honorum, aut principatuum attributiones, & antiquas deſignationes Cæſarum. Aliæ leges ſucceſſionis in plurimis regnis, quæ alijs, quàm primogenitis, quàm proximioribus regna deferunt.

QVOD dixi in ſuperiori capite, hunc morem apud pleróſque populos, vt apud Perſas, Parthos, Macedonas, extitiſſe, vt primogenitus patri in regno ſuccedat; ſic accepi, niſi ſupre-

ma patris voluntas obſtitiſſet, quæ pro lege apud eos populos ſeruabatur. Sed tamen fuere quidam populi, apud quos non potuit Princeps de regno ſuo diſponere, ſed primogenitus, aut qui proximior erat ex genere, lege, aut vſurpata cõſuetudine, quę pro lege eſt, ſuccedebat. Huiuſmodi fuit regnum Hebræorum, quod à Dauide cœpit. Quod enim Dauid iuniorem prætulit primogenito, Deo auctore factum eſt, vt ſatis ex verbis Adoniæ primogeniti cap. 2. lib. 3. Regum colligitur. *Tu noſti*, dicebat ipſe ad Beth-ſabeen matrem Salomonis, *quia meum erat regnum, & me præpoſuerat omnis Iſrael ſibi in Regem: ſed tranſlatum eſt regnũ, & factum eſt fratris mei; à domino enim conſtitutum eſt ei.* Sed & cap. 28. & 29. lib. 1. Paralipom. Dauid dicebat Dominum Salomonem elegiſſe, vt ſederet in throno regni Domini ſuper Iſrael, adhuc puerum & tenellum. Ab eo tempore certum ius ſuccedendi in eo regno fuit, vt primogeniti, & proximiores ſuccederēt. Lacœdemonios, qui ab Hebræis originem noſcuntur ducere, ſucceſſione quoque delata primogenitis, & proximioribus, reges habuiſſe certũ eſt. De Gallogræcis ſcribit Aulus Hircius lib. de bello Alexandrino, Cæſarem, Mi-

thridati Pergameno tetrarchiam, legibus Gallogræcorum, iure gentis, & cognationis, adiudicaſſe, occupatam & poſſeſſam, paucis ante annis, à Deiotaro. Et hæc ratio ſuccedendi optima eſt, quam tandem omnes ferè nationes amplexæ ſunt. Docui ſuperiore capite, vt Parthi, Perſæ, Aegyptij Tyrij, Aragonij aliquando obſtiterunt Regibus ſuis, in alios quàm in primogenitos, de regnis ſuis diſponentibus. Addam hîc etiam Nauarrenos. Nam cùm Sanctius fortis Rex Nauarræ regnum ſuum Iacobo I. Regi Aragonum reliquiſſet, non placuit populo ſucceſſionem interrumpi. Itaque ſucceſſit Blanca eius ſoror, quæ nupſerat Theobaldo Comiti Campaniæ. Hanc probarunt Franci, Angli, Scoti, Hiſpani, Itali: quam etiam vt plurimùm in Aethiopia receptam, ex Ferdinando Aluares cap. 54. 58. & 59. deſcriptionis Aethiopiæ apparet. Quò certior conſtitueretur, placuit primogenitum, vel proximiorem ex ſtirpe regia, viuente adhuc Rege, donari titulo heredis regni, vel regiæ coronæ: primogenitum etiam habere in Francia Delphinatum Viennenſem, qui aſcenſus ei eſſet ad dignitatem regiam: quamquam & antequam illo donaretur primogenitus ex lege

in hoc regno ſucceſſerit. In Anglia primogenitus primò donatus eſt ducatu Normaniæ, deinde Vualliæ Principatu: in Cypro, Principatu Galileæ: in Caſtilia, Principatu Aſturiarum: in Aragonia, Principatu Gerundæ, & Gubernatione Aragoniæ: in Tuneto, regno Conſtantinæ: in Scotia, titulo Principis Scotorum, & præfectura Cumbriæ. Hos honores, qui velut auguria ſunt proximè obuenturi regni, Buchananus lib. 6. rerum Scoticarum ſcribit manifeſta aduerſus veterem comitiorum rationem fraude adinuentos, quæ omnem liberorum ſuffragiorum vim prope tolleret. Sed non ſolùm illam tollit, verùm etiam & liberam Regum de regnis ſuis diſpoſitionem. Et obſeruandum eſt aliam eſſe rationem horum honorum, qui primogenitis, & proximioribus ex genere regio deferuntur; aliam deſignationis Cæſarum, quæ olim in imperio Romano fiebat. Neceſſe quippe erat eos deſignari Cæſares, quos pater imperij ſucceſſores deſiderabat; plerique verò horum non deſignãtur, ſed naſcuntur principatus heredes his honoribus cumulati: aut ſi deſignari ſoleant, vt in Aragonia & Tuneto, ſi Rex antequam eos deſignaret, mortuus ſit, non propterea minùs

nùs in regno ſuccedunt. Aliæ ſunt leges ſucceſſionis apud alios populos, quæ alijs quàm primogenitis, quàm etiam filijs Regum, regnum deferant. Veluti, apud Catabanẽſes nõn ſuccedit in regno filius patri, ſed is, qui primus è nobili genere, poſt conſtitutum Regem naſcitur, vt refert Strabo lib. 16. In Mexico, non filijs, ſed fratribus, & filijs fratrum regnum defertur; cap. 76. lib. 2. hiſtoriæ generalis Indiæ. In regno Kalecutio, filio ſororis Regis, vt ſcribit Oſorius cap. 3. lib. 1. hiſtoriæ Portug. Genſericus, ſeu Gizerichus Rex Vandalorum hanc legem ſucceſſionis teſtamẽto ſuo dixit, vt fratri morięti frater ſuccederet, ſine vlla cõtrouerſia filiorũ fratris, & poſt filios, quicunque ex virili prole, proximo cognationis gradu illum attingeret; & ex his, qui ætate præcederet, vt eſt apud Procopium lib. 1. de bello Vandalico, & Sigisbertum in Chronicis. Non abſimilis fuit conſuetudo, quam apud Nomades extitiſſe ſcribit Strabo lib. 16. vt in regno antiquiores ſuperſtites ſuccederent: quam in Numidia fuiſſe & alijs partibus Africæ colligimus ex Liuio lib. 28 & 29. Nam lib. 28. dum agit de duello inter fratres patrueles Corbim, & Orſuam, de prin-

cipatu ciuitatis, quam Iben vocabant; ſcribit Orſuæ patrem à fratre maiore, poſt mortem eius principatum accepiſſe: & lib. 29. Gala, patre Maſaniſſæ, mortuo, regnum eius non ad Maſaniſſam, ſed ad fratrem Regis Deſalcem prægrandem natu (mos ita, inquit, apud Numidas eſt) perueniſſe. Attamen Nicipſam filium Maſaniſſæ, legimus apud Salluſtium lib. de bello Iugurthino, Iugurtham adoptaſſe, ſperantem eum beneficijs vincere; & teſtamento pariter cum liberis heredem inſtituiſſe. Eiuſmodi inſtitutum neſcio, an in regno Legionis, cùm primùm illud regnum cœpit, obſeruatum fuerit. Nam Silonem Regem VI. generum Alphonſi Catholici, Aurelio ſucceſſiſſe legimus: filium autem Regi Alphonſo Catholico extitiſſe, nomine Bilmaraum, cuius filius fuit Veremundus I. Rex Legionis VIII. qui cũ meminiſſet ſe ordinem diaconatus ſuſcepiſſe, ceſſit ſpontè regno. Huic autem non ſucceſſerunt eius filij, ſed Alphonſus Caſtus, filius Regis Froilæ, qui Froila filius etiam Alphonſi Catholici fuerat: & Ordonio II. non ſucceſſerunt eius filij, ſed Froila II. frater & Alphonſo IIII. monaſteriũ ingreſſo, non filius eius Ordonius malus, ſed frater

Ranimirus II. ſucceſſit: & mortuo Ordonio III. nō Veremundus eius filius, ſed Ordonius malus, filius Alphōſi IIII. Ioannes Vaſæus in Chronicis Hiſpaniæ ſcribit, Abderamenem, Halihatæ filium, Miramolinum Hiſpaniæ inſtituiſſe, vt apud Mauros filij patrum heredes eſſent. Nam ad eam vſque diem ferè defunctorum bona ad fratres, & aliquando etiam ad alienos redibant, omiſſis filijs. In Moſcouia non probo hóc inſtitutum fuiſſe, quod quidam ſcripſerunt. Cromerus enim lib. 30. de rebus geſtis Polonorum, ſcribit Moſcouiæ Principatū ex inſtituto gentis deferri primogenito: quod aliquando violatum non ignoro: Sed adhuc obſeruari in ea gente, non obſcurè confirmat Baro ab Herbeſtein in lib. de rebus Moſcouiticis. Et hac prærogatiua ætatis contendebat Demetrius in Senatu Romano, regnum Syriæ ſibi deberi: æquum eſſe dicens, vt quemadmodum ipſe iure gentium maiori ceſſiſſet, ita etiam tunc pupillus filius Antiochi fratris ſibi cederet: quod Senatus ei denegauit: Iuſtinus lib. 34.

De Regnis, quæ ſuperiorem alium Regem vel Populum obſeruant.

CAPVT XII.

Reges,vel hereditario iure, aut lege ſuccedẽtes,Imperatoris, vel Regis, vel Populi, quẽ ſuperiorẽ agnoſcunt, auctoritate confirmandi ſunt. Et hoc iuri admodũ conuenit; quoniam pleraque huiuſmodi regna iure feudi hodie habentur. Itaque, in his quoque iura feudorum recipienda ſunt, habita ratione conſuetudinis regni, quod præeſt,non eius quod ſubeſt. Totum enim ius feudorum conſuetudinarium eſt. Vnde ſi aliquod regnum Regem Franciæ ſuperiorem agnoſceret,vt olim agnouit Regnum Bauariæ,Paulus Diaconus lib 4. cap. 2. de geſtis Longobardorum, *His quoque diebus Thaſſilo à Childeberto Rege Francorum apud Baioriam Rex creatus eſt*; agnouit etiam regnum Britanniæ vt ex Gregorio Turonenſi cap. 26.lib.5.& cap. 18. lib.9. hiſtoriæ Francorum, & cap. 78. appendicis ad Gregorium Turonenſem colligitur, Item regnum Burgundiæ, quod à Boſone cœpit: ſi Rex intra tempus lege aut conſuetudine regni Francorum definitum,ſe confirmari in regno ſuo,& de eo inueſtiri à Rege Francorum non petijſſet, non propterea regnum ſuum amitteret: quoniam ex huiuſmodi cauſa, moribus huius regni, vaſallus non amittit feudum: ſed dominus manus

injicit beneficio, & interim donec fidelitas præſtetur, fructus feudi ſuos facit: quo jure vſus eſt Philippus Valeſius Rex Francorum in Edoardum Angliæ Regem, cùm is ratione ducatus Aquitaniæ fidem, & hominium ei nõ exhiberet. Sed placet etiam manifeſtum facere exemplis, ex varia hiſtoria petitis, confirmationem ſuperioris Regis neceſſariam eſſe in electione, aut ſucceſſione inferioris: ſic enim videtur & hic, & ille appellandus, Ille enim ſuperior eſt, eſt hic inferior, qui illi ſubeſt. Et ſuperior quoque eſt populus quem tanquam ſuperiorem Rex obſeruat. Dionyſius lib. 3. ſcribit Romanos ſceptra, & diademata dono mittere Regibus, quando eis confirmãt poteſtatẽ regiam,. τὰ σκῆπτρα καὶ τὰ διαδήματα δωροῦνται τοῖς βασιλεῦσι, βεβαιοῦντες αὐτοῖς τὰς ἐξουσίας, Liuius li. 30. referens quæ Legati Maſaniſſę à Senatu petebant, *Deinde*, inquit, *gratias egerunt, quòd Maſaniſſam non appellaſſet modò regem, ſed feciſſet, reſtituendo in paternum regnum: in quo, poſt Syphacem ſublatum, ſi ita patribus viſum eſſet, ſine metu, & certamine eſſet regnaturus*. Appianus lib. de bellis Mithridaticis refert, Nicomedem cognomento Philopatorem, ex Senatusconſulto, in regno paterno Bithyniæ confirmatum: &

Dion Caſſius in Nerua Trajano, Traianum Armenijs, atque Parthis bellum inferre ſtatuentẽ, hunc pretextũ belli feciſſe, quòd Armeniorum Rex, diadema, & cætera regni inſignia, atque iura, non ab ſe, ſed à Parthorum Rege, velut illi obnoxius, ſumpſiſſet. Scribunt Ioſephus lib. 17. antiquit. Iudaic. Egeſippus lib. 2. Obiectum fuiſſe Archelao filio Herodis magni, heredi regni à patre teſtamento ſcripto, quòd priùs occœpiſſet regni adminiſtrationem, quàm à Cæſare cõfirmatus fuiſſet: cũ verò non fuiſſe in regno paterno confirmatũ. Quadi amiſſo Rege ſuo, non priùs ſe cõfirmaturos eum, qui erat creatus, dixerunt, quàm id Imperatoribus Romanis placuiſſet, vt tradit Capitolinus in Antonino Pio Nõnunquam mortuis Regibus, Romani regna in prouincias redigebant: vt Boccho, Mauritaniæ Rege, defuncto, Auguſtus regnum eius nemini alteri tradidit, ſed inter prouincias Romanas retulit, vt ſcribit Dion lib. 49. Nonnunquam verò, cum aliquo tempore prouincias per Legatos rexiſſent, Regem eis poſtea habere permittebant. Spartianus in Hadriano. *Armenijs Regem habere permiſit, cùm ſub Traiano Legatum habuiſſent.* Aliquando eiectis Regibus,

timis mortuo: & ſi is heredem inſtituiſſet Alphonſum Regem Neapolitanum, & ſupereſſent etiam legitimi heredes, quos priuare volebat auita hereditate; & domui ſuæ, non Imperio ducatum illum adſcribere: vt antea maiores eius ducatum Auſtriæ ſibi, non Imperio vendicauerant: illúdque tandem in ducatu illo Inſubrum, poſteri eius magno malo Franciæ noſtræ perfecerunt. In Hiſpania Regnum Aragoniæ, & Regnum Portugalliæ feuda fuiſſe Regis Caſtellæ, & Legionis, legimus apud Rodericum Toletanum cap. 7. lib. 7. & Rodericum Santium cap. 3. partis 4. hiſtoriæ Hiſpanicæ: vbi etiam referunt, quando illa regna libera ab eo iure facta ſint. Confirmatio igitur Regum, quandiu ea regna feuda fuerunt, à Rege Caſtellæ & Legionis petenda fuit. Quod in cæteris quoque regnis, alterius Regis, vel populi poteſtati ſubditis, admittendũ pari ratione eſt. Quibus conſequens omnino eſt, vt ſi qua oriatur de ſucceſſione regnorum eiuſmodi controuerſia, ſuperioris ſit eam definire: vt Ludouicus Pius Imperator definiuit controuerſiam de regno Vultzorum, inter Milegaſtum, & Celeadragum filios Liubi Regis Vultzorum, vt refert Aimoinus cap.

3.lib.4.de geſtis Francorum: Imperator Fridericus 1.de regno Danorũ inter Suenonẽ,& Kanutum; Albertus Krantzius cap.31. lib.5. Daniæ: & Tartari Principes quãdo eis Ruſſi ſuberãt, lites quæ inter Principes Ruſſiæ de ſucceſſione principatuum oriebantur, dirimebant, vt ſcribit Sigiſmundus Liber Baro ab Herbeſtein in lib. de rebus Moſcouiticis.

Vtrum Regnum Franciæ ſuffragijs, an verò ſucceſſione deferatur.

CAPVT XIII.

Regnum Franciæ in prima Regum familia hereditarium fuiſſe. In regnis hereditarijs quandoque ſucceſſionem approbari ſuffragijs, nec propterea regna eſſe electiua. Morem impoſitum clypeo Regem eleuandi, electionẽ non ſemper denotare. In ſecunda Regum familia regnum fuiſſe hereditarium. Conuentus regni habitos in partitione regni, aut in declarando, aut deſignando ſucceſſore: filios in Collegas aut Conſortes imperij adſcitos, viuis Regibus: Iuramenta exacta à ſubditis eo nomine, non eſſe certa electiui regni argumenta. In tertia Regum progenie regnum fuiſſe non hereditariũ ſed legitimum.

DE IVRE omnium ferè regnorum quæ antiquitas illuſtriora habuit, & eorum etiam quæ hoc noſtro

æuo florent, dictum eſt in ſuperioribus capitibus. De regno Francorum, quod primum locum in orbe Chriſtiano tenet, & nobilius, illuſtriúſque eſt cæteris, nihil aut ſanè pauca diximus: quod diſputationi de eius iure, hoc caput 13. deſignaremus. Perſuaſum permultis ſcio, hoc regnum ſaltem in prima, & ſecunda Regum progenie, ſuffragijs delatum fuiſſe. Et hoc etiam quidam ſtudio partium ducti affirmare auſi ſunt: cùm tamen Cedrenus in Leone Iconomacho; Anaſtaſius bibliothecarius Adriani II. Agathias lib. I. Sigiſbertus in Chronicis ſcribant, moris eſſe apud Francos, Reges ſecundum genus imperare, κατὰ γένος ἄρχειν: quod veriſſimum eſſe in ſingulis Regum familijs demonſtrabo. In prima familia partitionem & diuiſionem regni ſæpe factam inter filios Regum notiſſimum eſt. Aimoinus cap. I. lib 2. & Gregorius Turonenſis cap. I. lib. 3. ſcribunt, quatuor filios Clodouei, Theodoricum, Clodomirum, Childebertum, atque Clotarium, regnum inter ſe æqua lance diuiſiſſe: & ſimiliter Clotario I. mortuo, filios eius regnum inter ſe partitos vterque auctor refert: nec procerum, aut populi conſenſum adhibitum; aut ge-

30. eum ita loquentem facit in generali conuentu, quem apud Bigargium coëgerat, de teſtamento ſuo. *Conſtitui etiam quatuor fieri vno tenore exemplaria, & ea manibus ſubterſimare, non tantùm meis, ſed etiam filiorum meorum Sigeberti, ac Hludouici, quos hodie Reges conſtituo, veſtris quoque, qui aſtatis ſanctiſsimi Pontifices, nec non gentis noſtræ Principes.* Ex quibus liquidò conſtat hoc regnũ, in priore Regum familia, iure hereditario delatum fuiſſe. Qui contrà adſerunt ſuffragijs delatum, mouentur potiſſimùm; quòd veteres hiſtorici, Gregorius Turonenſis, Aimoinus, Sigisbertus, Ado Viennenſis, Abbas Vrſpergenſis, cùm agunt de his, qui mortuis Regibus ad regnum admittebantur, frequenter ſoleant his verbis vti. *Franci in regnum ſtabilierunt: ſibi Regem adſciuerunt: impoſitum ſuper clypeo, ſibi Regem conſtituerunt: ſublimarunt in regnum: in regnum elegerunt*: vt illud Appendicis Gregorij Turonenſis lib XI. cap. 101. *Mortuo Teodorico Rege, Franci Clodoueum filium eius paruulum in regnum elegerunt.* Quibus id reſponſum velim non eſſe abſurdum, vt quanuis regnum Francorum hereditarium fuerit; procerum tamen, vel populi ſuffragijs, quandoque ſucceſſio hereditaria approbata ſit. Id

exemplo regni Iudæ, cuius lex ſucceſſio-
nis, diuinis promiſſis conſtabat, demon-
ſtrari poteſt. In cap. 12. 3. Regum ſcriptum
eſt. *In Sichem erat congregatus omnis Iſrael ad
conſtituendum Regem Roboam.* & cap. 22. lib.
2. Paralipomenon, *Habitatores Ieruſalem
conſtituerunt Ochoziam Regem*, & cap. 36.
*Tulit populus terræ Ioachar, filium Ioſiæ; &
conſtituit Regem pro patre ſuo in Ieruſalem.*
In regno quoque Angliæ, quod ſucceſſio-
ne deferri conſueuiſſe ſuprà docui, hunc
morem fuiſſe, vt mortuo Rege, conuoca-
retur concilium Principum, in quo de Re-
ge creando ageretur, ex principio lib. 22.
Polydori Virgilij hiſtoriæ Anglorum, con-
ſtat. Neque tamen proptérea dicendum
eſt, regnum Angliæ vel Iudæ, vel etiam
hoc regnum Francorum electitium eſſe.
Nam vt huiuſmodi habeatur, oportet vt
qui eligunt, libera habeant ſuffragia, non
ad certum hominem eligendum & crean-
dum reſtricta. Quemadmodum antè do-
cui cap. 8. regna quæ ſuffragijs deferuntur,
non propterea hereditaria cenſeri, quòd
in his ſæpe filij parentibus ſuccedant, &
prærogatiuam ex more gentis habeant:
quoniam non ex vi ſucceſſionis; ſed ex vi
electionis ad regna paterna admittuntur:

ita è cõtrario in regnis hereditarijs, ſi mos ſit populum adſentiri, acclamare ſucceſſioni Principum, conſtituere illos, eligere, ſublimare in regna; non propterea regnum ſuffragijs obuenit, ſed ſucceſſione quam approbant ſuffragia: nam & ſi eam improbarent, nihilominùs ſucceſſione regnum deberetur. Mos autem clypeo impoſitum Regem eleuandi, nullam electionem præſupponit, quanquam potiſſimùm in regnis electiuis viguerit: vt in Imperio Græco peruenit ille mos vſque ad tempora poſteriorum Imperatorum. Nam in electione Theodori Laſcaris Imperatoris, & in electione Michaelis Palæologi vſurpatum fuiſſe Nicephorus Gregoras principio lib. 3. & 4. Romanæ hiſtoriæ auctor eſt. In regno Hungariæ ſimiliter vſurpatum, Cromerus lib. 2. rerum Polonic. refert, dum agit de electione Vladiſlai in Regem Hungarorum. Sed etiam in coronatione Caroli III. Regis Nauarræ interceſſiſſe legi: cùm tamen illud regnum ſucceſſione deferatur, vt docui cap. 10. Itaque exiſtimo ſæpe illum morem non tam ad eligendum Principem vſurpatum; quàm vt electus iam, & approbatus Rex, aut etiam hereditario iure ad regnum vocatus, à cuncto po-

pulo circumſpiceretur, & ei acclamationes fierent. Ammianus Marcellinus lib. 20. de Iuliano. *Impoſitúſque ſcuto pedeſtri, & ſublatiùs eminens populo ſilente Auguſtus renuntiatus iubebatur diadema proferre.* Fuere & alij varij ritus creandi Reges, aut eos de regno inueſtiendi, qui mihi hic conſultò prætereundi videntur. In ſecunda Regum noſtrorum progenie, maior controuerſia eſt an hoc regnum electiuum fuerit. Nam Pipinus, ſecundum morem Francorum electus in Regem dicitur. Filij eius, Carolus, & Carolomanus, omnium Francorum conſenſu ambo Reges creati, ea conditione præmiſſa, vt totius regni corpus ex æquo partirentur, vt ſcribunt Regino 2. Chronic. Aimoinus lib. 4. cap. 67. Sigisbertus in Chronic. Eginhartus in vita Caroli Magni. Abbas Vrſpergenſis de Ludouico filio Caroli. *Ludouicus à patre Carolo magno congregatis ſolenniter de toto Francorum regno primoribus: cunctorum conſilio, conſors ſibi totius regni, & imperialis nominis heres conſtitutus, impoſitóque capiti eius diademate Imperator, & Auguſtus appellatus.* Et de Odone Sigisbertus ſub anno 890. ita loquitur. *Franci verò neglecto Carolo, Ludouici Balbi puero, vix decenni, Regem ſibi præficiunt Odo-*

nem

nem filium Roberti Ducis. Item Otto Friſingenſis Chronic lib. 6. cap. 10. *Occidentales inquit, Franci, Odonem, Roberti filium, virum fortem, conſenſu Arnolphi Regem creant.* Sed adhuc tamen in hac Regum ſtirpe, non minùs quàm in prima, hoc regnum iure hereditario delatum fuiſſe quouis pignore contendere Aimoinus cap. 94. lib. 4. de Carolo Magno. *Illíſque abſolutis, conuentum habuit Imperator cum primoribus, & optimatibue Francorum, de pace conſtituenda, & conſeruanda inter filios ſuos, & diuiſione regni facienda in tres partes: vt ſciret vnuſquiſque illorum, quam partem tueri, & regere debuiſſet, ſi ſuperſtes illi eueniret. De hac partitione & teſtamentum factum & iureiurando ab optimatibus Francorum confirmatum: & conſtitutiones cauſâ conſeruandæ pacis factæ: atque hæc omnia literis mandata ſunt, & Leoni Papæ, vt his ſua manu ſubſcriberet, per Euerardum miſſa. Quibus Pontifex lectis, & aſſenſum præbuit, & propria manu ſubſcripſit.* Idem Aimoinus cap. 109. eiuſdem libri, agens de Ludouico Pio, & de conuentu ab eo habito Nouiomagi, ſic loquitur, *Ibique* (inquit,) *conſtitutam annis ſuperioribus, atque conſcriptam, inter filios ſuos regni partitionem recenſuit, ac iuramentis Optimatum, qui tunc adeſſe poterant, confirmauit.* &

libro 5. cap. 17. ſcribit in generali conuentu, in Cariſiaco habito, Imperatorem filiũ ſuum Carolum armis virilibus cinxiſſe; corona regali caput inſigniuiſſe; & Neuſtriam ei attribuiſſe; Pipino, Aquitaniam. Ex quibus manifeſtum eſt, in hac & ſecunda Regum familia, regnũ Francorũ hereditariũ fuiſſe. Nec ab ea ſentẽtia dimoueor quòd vel in generali cõuentu regni, principes de regnis ſuis diſpoſuerint, & regnum inter filios ſuos partiti fuerint: vel teſtamenta ſua, partitiones, diſpoſitiones, iuramentis optimatum confirmauerint. Rectè enim Albertus Krantzius cap. 1. & 4. lib. 3. Saxoniæ, tractans de Conrado Imperatore, qui Henricum ducem Saxoniæ Imperatorem deſignauerat, hæc ſcribit. *Congregati principes Frãciæ Orientalis, Turingiæ, & Saxoniæ in Friſlariã, elegerũt concorditer eundem Hẽricum. Quamquam diſpoſitio de regno, non tam erat in arbitrio eligentium, quàm in arbitrio decedentis. Nam abundè Carolus magnus pater filio reliquit imperium, niſi quòd aliquoties propter ignauiam ſuccedentis, ſe interpoſuerunt Principes Ordinationi. Tum verò, & ſi Conradus deceſſor, de Henrico ſucceſſuro ordinaßet, ex abundanti tamen, vt diximus, hunc fecere conuentum, vt omniũ voluntate regnaret.* Et ſanè optimũ

eſt, quoties metus ſubeſt, ne poſt mortem Regis aliqua de regno controuerſia ſit, aut quando alium, quàm eum qui proximior gradu eſt, Princeps heredem regni vult ſcribere, vt generalem conuentum regni ſui Princeps habeat, & in eo de regno ſuo diſponat: quò diſpoſitioni Principis, eorum etiam, quorum intereſt, conſenſus, & voluntas accedat. Hoc modo Balduinus Comes Flandriæ, in generali conuentu Flandriæ recipi in Comitem ſibi ſucceſſurum, Carolum filium Kanuti Regis Daniæ curauit: & Henricus I. Rex Angliæ, cõuocato Londini, tam Antiſtitum, quàm Procerum concilio, de concilij ſententia Mathildē Auguſtam filiam, eiúſq; filios, ſi quos deinceps generaret, heredes ſibi inſtituit: quò à ſucceſſione regni Guilielmus, filius fratris, Comes Flandriæ ſubmoueretur, vt ſcribit Polydorus Virgil. lib. II. Non eſt etiam alienum, vt Principes ſibi filios conſortes imperij adſciſcāt, aut alios quos ſibi ſucceſſores exoptant: quòd millies factum eſt, non ſolùm in regnis, quæ ſuffragijs deferuntur, verùm etiam & in hereditarijs: veluti, cùm Ptolomæus, Rex Aegypti, filio minori natu principatum tradēs, officium ei, vt Regi priuatim inter ſatelli-

tes fecit; omni regno pulchrius eſſe dicens Regis eſſe patrem. Quo modo viſus eſt non tam collegam regni eum aſſumere, quàm in eum omne ſuum imperium, & poteſtatem transferre. Interdum etiam procurant Principes, vt dum ipſi viuunt, iuramentum liberis ſuis, aut alijs, quos heredes habere volunt, tanquam proximè ſucceſſuris in regno præſtetur: cuius rei paſſim exempla occurrũt in imperio Græco: Veluti illud quod in cap. 8. adduxi ex Zonara in Leone Chazara: & illud, quod idem auctor in Conſtantino Duca tradit, Conſtantinum Ducam ſenatores omnes iureiurando adegiſſe, vt ſcripto promitterent, ſe non alium Imperatorem, niſi liberos ipſius, creaturos. Quod etiam iuſiurandum Manuelem Comnenum Imperatorẽ exegiſſe pro Maria filia, & eius marito Alexio Hungaro ſcribit Nicetas in Annalibus lib. 4. de imperio Manuelis Comneni. Et ſimile iuſiurãdum ſæpe præſtitum in regno Poloniæ, Cromerus teſtis eſt pluribus in locis. Sed non ſolùm in regnis electiuis, verùm etiam in hereditarijs frequenter exactum eſſe legimus. Robertus de Monte in ſupplemento ad Chronicon Sigisberti: *Henricus apud Vuarengefort fecit optimates*

Anglici regni iurare fidelitatem Vuilhelmo primogenito ſuo, de regno Angliæ: & ſi idem puer immatura morte occūberet, Henrico fratri ſuo. In regno Portugaliæ, Ferdinādus Rex filiæ ſuæ, quæ nupſerat Regi Caſtellæ idē iuramentū præſtari voluit, vt refert Froiſſartus cap. 25. 3. vol. Chron. & in ducatu Britāniæ Iohannes III. dux Britāniæ, nepti ſuæ, & Carolo Bleſenſi eius marito: quāquam neutra illarum mulierum principatum obtinuerit. Plus enim arma potuerunt. Et in omnibus regnis Hiſpaniæ vſitatum eſſe à multo tempore, vt proximè ſucceſſuris in regno, viuis ipſis Regibus, iuramentū fidelitatis exhibeatur, nemini perito rerū Hiſpanicarum ignotum eſt. Quamobrem, quòd Reges noſtri in generali conuentu regni, aliquando de regnis ſuis diſpoſuerint; quòd viui filios conſortes imperij adſciuerint; quòd iuramentis ſubditorum partitiones regnorum à ſe inter filios ſuos factas confirmauerint; vel his tanquam regni ſucceſſoribus iuramētum exhiberi voluerint, nullum argumentum præbent electionis in hoc regno: quoniam & in regnis hereditarijs, vt docui, ſæpiſſime hæc vſurpata ſunt. Pipinum fateor Regem Francorum electum fuiſſe. Et verò debuit eligi,

qui nullo iure ſuccedebat: qui antiquę Regum familiæ regnum tyrannicè eripiebat: vel magis cui, & ſuis, & paternis virtutibus conſpicuo; mollities & voluptas, quæ Regum familias peſſundare ſolent, Principum Merouingiorum aditum ad regnum præparabat. Carolus autem, & Carolomannus ideo communi conſenſu populorum electi fuerunt; quò magis eos, qui ex Merouingia familia ſupererant, excluderent; & ſibi imperium firmarent, vt rectè alijs viſum eſt: quod in Capeuingia familia, aduerſus Carlouingios poſtea quoque factum eſt. Et hac de cauſa etiam procuratum eſt iuramentum, quod à Franciæ Proceribus Stephanus Pontifex Romanus exegit, vt non de alia ſtirpe, quàm de ſtirpe Pipini, Regem ſibi Franci præponerent. Quod iuramentum Franci minimè violarunt, cum Odonem elegerunt: quoniam eum tutorem Caroli pueri, & regni gubernatorem elegerant, vt ſcribit, Aimoinus cap. 41. lib. 5. Quo nomine vero ſimile eſt eum intruſum in regnum, perfidè ſe ergą ſuum pupillum geſſiſſe, cuius facti eum morientem pœnituit. Sed etiam quantą vis fuerit apud Francos diſpoſitionis Regum de regno ſuo, ipſi rebelles, qui maie-

ſtatem Caroli Simplicis in vinculis retinebant, iudicarunt. Scribit Aimoinus cap. 42, lib. 5. Carolum poſitum in cuſtodia, Rodulfum filium Richardi Ducis Burgundionum, quem de ſacro fonte ſuſceperat, cum cõſilio Hugonis magni, & procerum Francorum, in Regem ordinari præcepiſſe; & vnctum eſſe in Regem Rodulfum, Sueſſionis. Præclarè Paulus Aemilius lib. 3, *Inter tot rerum fluctus, qui poſt mortem Balbi, vſque ad Simplicis obitum, rerum apud Francos potiti ſunt, nulli eorum iuſti Reges apud Francos numerantur, quòd is vnus ad regnum iure, inſtitutíſque Frãcorum vocaretur.* Et ex illis quæ rebelles, & coniurati populi, vel proceres in Principes egerint, abſurdum eſt maximè de regnorũ iure coniecturas capere: quod frequenter faciunt, qui hoc regnum electione in prima, & in ſecunda Regum familia delatum fuiſſe dicunt. Magnam vim facit Hotomanus in teſtamento Caroli magni, quod apud Ioannem Nauclerum, & Henricum Mutium editum eſt, in quo clauſula hæc extat. *Quòd ſi filius cuilibet horum trium filiorum meorum natus fuerit, quem populus eligere velit, vt patri ſuo in regni hereditate ſuccedat, volumus, vt conſentiant patrui ipſius; & regnare permittant filium fratris ſui,*

in portione regni paterni. Verùm & hæc ipſa de regnis ſuis Caroli magni diſpoſitio, & quod iubet filiis, vt permittant filios fratrum ſuorum regnare, ſatis indicant magis in arbitrio fuiſſe decedentis, quàm in arbitrio populi, quem vellet eligere. Sic Abbas Vrſpergenſis, & Eginhartus in vita Caroli magni, tradunt Carolum magnum pietatis ſuæ præcipuum documentū oſtendiſſe, quòd filio Pipino defuncto, vt nepos Bernardus patri ſuo ſuccederet, effeciſſet: & mortuo Pipino Ludouici Pij filio, relicto altero Pipino filio, hic nepos non ſucceſſit in Aquitania, quæ patri obtigerat, etſi Aquitani eum ſibi Regem optarēt: quòd, vt ſcribit Guaguinus lib. 4. in partitione regni facta à Ludouico Pio inter filios ſuos, nulla fuiſſet eius ratio habita. In tertia Regum progenie non ex diſpoſitione Regis, aut hereditario iure, ſed lege ſucceſſionis regnum delatum eſt. Quamuis ſint qui ſcribant, de quo tamen inter omnes hiſtoricos non conſtat, Robertū Regem, omiſſo primogenito, alterum filium heredem inſtituiſſe. Delatum verò eſt primogenito ex maribus, linea recta eorum quibus ſucceditur: illa verò deficiente, maribus ex latere coniunctis, vt quiſque proximior gra-

du eſſet. Vtrum lege definita fuerit in hoc regno hæc ſucceſſionis forma, an verò conſuetudine tantùm recepta ſit, poteſt quæri: quam certum eſt in regno Scotorum lege præſcriptam: Hector Boëthius lib. 11. Hiſtoriæ Scotorum. Paulatim verò in cæteris regnis vſu eſſe receptam docui ſuprà in cap. 11. Cœpit enim tœdere populos diſpoſitionum paternarum, quæ frequentiùs, quàm in priuatorum hereditatibus fieri ſoleat, dolis filiorum, blanditiis matrũ erga maritos, vt magis erga vnum, quàm erga alterum filium affectæ ſunt, & nouercarum etiam extorquentur. Vnde bella ciuilia naſci conſueuerunt. Huius ſucceſſionis formæ, à primis temporibus, quibus Capeuingia familia regnum obtinuit, in hoc regno introductæ certum argumentum eſt, quòd non ampliùs facta eſt partitio regni inter filios defuncti Regis, quæ in Merouingia, & Carlouingia familia fieri ſolebat: quam etiam de more gentis fieri ſolitam teſtatur Agathias lib. 1. Hanc ſucceſſionem legitimam libet appellare, quòd lege, vel conſuetudine, quæ vice legis eſt, deferatur. Altera hæreditaria eſt, quia obuenit iure hereditario. Inter quas duas ſucceſſionis Regni ſpecies, quantum

interſit, ſequenti capite demonſtrandum eſt.

Quæ differentiæ ſint inter regnum, quod hereditario iure, & illud, quod lege, vel conſuet udine defertur.

Capvt. XIIII.

VII. Differentiæ ponuntur inter regnum hereditarium, & regnum legitimum. Vna ponitur inter regnum electiuum, & regnum ſucceſsiuum ſummè notanda.

PRIMA differentia eſt, quòd vbi iure hereditario regnum defertur, habet regnum ſucceſſor à defuncto: vnde quemadmodum is qui ex teſtamento, vel ab inteſtato ſuccedit, creditoribus hereditariis reſpondere tenetur, quoniam adeundo hereditatem, quaſi ex contractu ſe creditoribus obligat. l.3. D. quib. ex cauſis in poſſes. eatur, & l.5. §. hæres. D. de obligat. & actionib. Ita etiam Pinceps, qui iure hereditario ſuccedit, æs omne alienum defuncti exoluere tenetur. At verò vbi lege, vel conſuetudine; non à defuncto Principe, ſed à lege, vel conſuetudine princeps habet imperium. Ex quo ſequitur, vt his ſolùm creditoribus teneatur, qui prò neceſſitate, aut vtilitate

regni, pecuniam defuncto Regi crediderint: quemadmodum illi, qui in dignitate, vel in beneficio ſuccedunt, eiuſmodi creditoribus tantùm obligantur, cap. 1. de ſolut. extra. Debet tamen in dubio præſumi pecunia in vtilitatem regni credita, exemplo eorum, quæ de ſucceſſoribus in beneficio vulgò interpretes tradũt: atque etiam vtiliter cœptum fuiſſe negotium ſufficiet, licet alium exitum res habuerit, l. ſed an vltro §. 1. de negot. geſtis. Quæ etiam in Principibus electis locum habent: qui nullum ius habent à defuncto Rege, ſed à populo, qui eos Reges elegit. Alia differentia eſt, quod, quando iure hereditario regnum defertur, non licet repudiare reliquam hereditatem, retento regno, vel repudiare regnum, retenta reliqua hereditate: quia non licet pro parte iudicium defuncti agnoſcere, & pro parte non agnoſcere. l. 1. & 2. D. de adquir. vel omitt. hered. At verò quando lege, vel conſuetudine; quemadmodum in feudis receptũ eſt, poſſe agnatum proximiorem retinere feudum antiquum, & genearchicum, repudiata hereditate: quia non tam id videtur à defuncto accipere, quàm à communi parente, qui primus acquiſiuit, tit. 45. & tit. 51. lib. 2. feud.

ita etiam & Princeps poterit repudiare hereditatem retento regno. Nam etiam ſi heres inſtitutus non eſſet, ſed alius, nihilo minùs tamen in regno ſuccederet. Huic differentiæ alia affinis eſt; quòd vbi iure hereditario ſucceditur, poteſt pater filium exheredem facere, ſi iuſta cauſa exheredationis ſubſit; poteſt primogenitum, vel proximiorem agnatum excludere regno, & alium heredem regni inſtituere; de genere tamen, non extraneum. Quoniam vel regnum ex electiuo hereditarium factum eſt; vel ab initio ſucceſſiuum fuit. Primum accidit, cùm populi eandem opinionem de Regis poſteris conceperunt, quám de Rege iã habebant. Alterum, quãdo regnũ ab initio delatum eſt non tantùm Regi, verùm etiã eius generis poſteris, vt docui ſuprà in cap. 10. Vtroque caſu ipſa conſtitutæ ſucceſſionis ratio demonſtrat, non poſſe Principẽ, prætérita domo ſua, alium heredem regni ſcribere. Quoties autem lex vel conſuetudo regnum defert, non poteſt pater filium exheredem regni facere: quia, vt dixi, filius non recipit regnum tanquam heres patris, ſed quoniam lex, vel conſuetudo regnum ei dat. arg l. ſi ex patronis. §. fin. cum l. ſeq. D. de bonis libert,

ſequitur & alia. In regnis hereditariis, quæ de aditionibus hæreditatum, pro herede geſtionibus, immiſtionibus, vſu eorum regnorum recepta ſunt, locum habent. Non habent locum in his, in quibus ex lege ſucceditur. Electione verò, tam in his, quàm in illis opus non eſt: quoniam, vt rectè Fridericus Imperator Hungaris reſpondit, qui Ladiſlaum Alberti filium Regem elegerant, *Electione opus non eſt in eo, quem natura Regem dedit.* De more tamen plerunque recipitur in regnis ſucceſſiuis quædam electionis forma: quæ tamen non efficit, vt propterea regna electiua habeãtur, quemadmodum docui in ſuperiore capite. Inde alia quoque naſcitur. In regnis hereditariis teſtamenta Principum non egent confirmatione conuentus regni: quamuis optimum ſit, vt dixi in eodem ſuperiore capite, vt Princeps in conuentu regni de regno ſuo diſponat. In regnis verò legitimis teſtamentum Principis irritum eſt, quatenus in eo Princeps de regno, vel regni adminiſtratione diſpoſuerit, niſi huic robur dederit auctoritas Conuentus regni: quo modo teſtamentum Caroli V. cognomento Sapientis, Regis Francorum, irritum factum eſt, vt referunt Froiſſartus

volum.2.cap.60.& alij eius ætatis hiſtorici. Sunt & aliæ duæ differentiæ valde notandæ. Harum prior eſt. Si in regnis hereditarijs metus aliquis ſubſit, nè mortuo Principe, aliqua de regno cõtrouerſia ſuboriatur, poteſt ſolus Princeps, dum viuit, illam definire, quippe qui liberam de regno ſuo diſpoſitionem iure habeat. Hoc autem ſolus non poteſt, vbi lege regnum defertur, ſed neceſſe eſt; vt in generali Conuentu regni definiat: vt quondam in Scotia fecit Robertus & Bruſſius Rex Scotiæ; teſte Boëthio lib. 14. aliis in regnis ſæpiſſime vſurpatũ eſt. Magnæ tamen ſemper auctoritatis eſſe debet in eiuſmodi cõtrouerſijs Principis iudiciũ. Pręclarè enim apud Laurentium Vallam lib.2.de Ferdinando Aragoniæ Rege, Martinus Rex Arragonũ ſic loquitur. *Neque enim minùs regium eſſe puto, populos ſuos, & præſertim de Principe optimè meritos, poſt obitum ſuum rectè gubernandos curare, quàm viuentem rectè gubernare.* Ex quo *teſtificatum relinquam apud omnes iudicium meũ, vt ſi domeſticus mihi hæres non fuerit, ij ad quos pertinebit, ſequantur meam defuncti vel rationem, vel authoritatem.* Altera eſt; ſi nullus alius præter Regem, ex regia ſtirpe ſuperſit; poteſt Rex, ſi regnum hereditarium

ſit, heredem ex alia familia ſcribere: vt frequenter in regnis hereditariis adoptiones factas fuiſſe legimus, quas hic referre piget. Iure verò arbitror eas fieri non potuiſſe, niſi deficiente prorſus regia familia: quod rectè iudicarunt Burgundi; qui, cùm Henricus Dux Burgundiæ adoptaſſet ſibi in filium Othonem Guilielmum Comitem Diuionenſem, eam adoptionem improbarunt, quòd in fraudem legitimi hæredis, is verò erat Robertus Rex Franciæ, facta eſſet: Paradinus Annal. Burgund. lib. 1. Ideo verò poteſt Princeps deficiente regia familia, ex alia domo ſibi filium adoptare, vel hęredem ſcribere: quòd etſi populi, qui vel ex electiuo regno hereditarium fieri paſſi ſunt, vel ſucceſſiuum ab initio conſtituerunt, videantur ſolùm de genere; & familia Regis cogitaſſe, tamen cum nulla lege reſtrinxerint, ſed liberam eſſe voluerint Principis de regno diſpoſitionem, permultum eius iudicio tribuiſſe videntur. Solent tamen nonnulli Principes, quibus nullus legitimus hęres eſt, regnũ populi arbitrio permittere; vt quondam feciſſe Euphaim Regem Meſſeniorum ſcribit Pauſanias in Meſſeniacis. Quod ſi regnum hereditarium non ſit, ſed legiti-

mum: nec adoptare: nec heredem ſcribere Princeps poteſt, etiam vbi nullus ſupereſt, cui regnum lege deferri poſſit: quoniam ſucceſſio regni, non Principis iudicio, ſed legis diſpoſitioni attributa eſt. Quamobrem debet Princeps Comitia regni indicere, vt in his declarato regni ſucceſſore, tranquillitati regni in futurum conſulat. Si nihil de eo, viuo Principe actum fuerit, aut etiam ſi in regno hereditario Princeps ſine herede deceſſerit, libera eſt Comitiorum regni poteſtas, quem velint ſibi Regem eligere; aut etiam poſſunt, ſi ita eis viſum fuerit, reipublicæ formam immutare. Hoc modo in Polonia, cùm ſtirps Lechi defeciſſet, Poloni Comitijs de conſtituenda republica Gneſnæ habitis, pertæſi Monarchiæ, Oligarchiam duodecim Palatinorum conſtituerunt: & cùm ſtirps Craci defeciſſet, ad eandem denuo Oligarchiam reuerſi ſunt, vt ſcribit Cromerus lib. 2. Poſſunt tamen ſemper Poloni immutare mortuis Regibus, quoniam regnum Poloniæ electiuum eſt, vt dixi cap. 8. Nam inter regnum, quod electione, & regnum, quod ſucceſſione defertur, hæc differentia præcipuè notanda eſt: quòd in illo, ſemper, mortuo Rege liberum

eſt populo quam velit reipublicæ formam conſtituere, ſi modò populus ius ſuffragij habeat, non certis quibuſdam perſonis attributum ſit, vt in Imperio Occidentis Germanorum attributum eſt. Ita Romæ, Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 2. & Titus Liuius lib. 1. ſcribunt mortuo Romulo, patres aduocata concione iuſſiſſe, tribus & curias de ordinanda republica diſpicere, ſiue Regibus, ſiue Magiſtratibus annuis mallent eius curam credere quod defuncto quoque Numa, & Tullo Hoſtilio, & Anco Martio, factum ijdem auctores referunt. In hoc autem crimen Maieſtatis eſt, dum ſtirps regia manet, de immutando reipublicæ ſtatu cogitare.

De Succeſſione fœminarum in regnis.

CAPVT. XV.

Nec lege diuina, nec lege naturæ prohibitum mulierum imperium. Reiecta opinio eorum, qui antiquis temporibus Gynæcocratiam nullam extitiſſe ſcribũt. Apud quoſdam populos excludi fœminas à regnis, non maſculos ex fœminis. Regna quæ deferuntur fœminis, deficientibus maſculis deferri. Fœminas quæ ex recta linea deſcendunt, maſculis ex latere coniunctis præferri in regni ſucceſſione.

AN debeant rerum gubernacula mulieribus committi, ſolent qui de republica diſſerunt, quærere: quæ ſatiùs fore arbitror, non committi. Sed hîc tantùm propoſitum mihi eſt de iure diſputare. Ius verò hac in parte, vt etiam in alijs quæſtionibus Iuris publici, ex legibus ſingulorum populorum conſiderandum eſſe certum eſt. Sed tamen, ſi lege diuina prohiberentur mulieres viris imperare, quod quidam ſcripſit, reijciēda prorſus eſſet lex, aut conſuetudo, quæ diuinæ legi aduerſaretur. Verùm viris ſuis, id eſt maritis, iubentur lege diuina mulieres ſubeſſe, non cæteris. cap.3. Geneſ. Idem eſſet, ſi lege naturæ; qua veriſſimum quidem eſt, magis aptum eſſe ad imperandum quod eſt maſculum, quàm quod eſt fœmineum: ſed etiam & verum eſt non ſemper eam efficere, vt ex bonis boni naſcantur, & ex malis mali: nec conſequenter, vt quicquid maſculum gignitur, ſit ſemper perfectius eo, quòd naſcitur fœmineum. Nihil magís alienum à fide hiſtoriæ ſcribi potuiſſe arbitror, quàm nullum vnquam populum repertum fuiſſe, qui Gynæcocratiam probauerit, vſque ad illa tempora, quibus, deficiente Normanorum Principum filia,

Neapolitanum regnum Conſtantiæ, vxori Henrici, filij Friderici Imperatoris, delatum eſt. Scribit Arianus lib. 1. de rebus geſtis Alexandri, in Aſia receptum fuiſſe à Semiramidis tempore, vt vxores Regum poſt eorum mortem regnarent: & in Ægypto, in Saba, apud Indos; & in alijs pleriſque Orientis regionibus, olim mulieres regnarunt. In Polonia, Venda Regina; in Bohemia, Lybuſſa; in Dania, Gyuritha, antiquitus regna illa adminiſtrarunt. Britannos olim ſcribit Tacitus in Iulij Agricolæ vita, nequaquam ſexum in imperijs diſcernere ſolitos. In Burgundia Reginaldus II. Comes Burgundiæ, qui Regis Arelatenſis & Burgundiæ titulũ aſſumebat, quemadmodum & alij ante eum Comites Burgundiæ, vnicam filiam Beatricem heredem regni reliquit, quæ nupſit Friderico I. Imperatori, vt refert Paradinus Annal. Burgundiæ lib. 2. Ante Conſtantiam igitur vxorẽ Henrici, filij eiuſdem Friderici I. extitêre quidam principatus delati fœminis. In regno Caſtellæ, & Legionis, non placet hîc referre, quoties acciderit fœminas ante illa tempora ſuccedere: quoniam apud Marineum Siculum lib. 19. & Ælium Antonium Nebriſſenſem cap. 2. & 3. lib. 3. de-

cad.1.rerum à Ferdinando Rege, & Eliſabetha geſtarum accuratè traditur: dum ea referunt, quæ pro parte Reginæ, de ſucceſſione regni Caſtellæ, & Legionis, aduerſus Ferdinandum Aragoniæ Regem eius maritum prolata fuerunt. Regnum Aragoniæ tranſijt in familiam Comitum Barcinonæ, nupta Petronilla, filia Ranimiri Monachi, Raymundo Berengario Barcinonæ Comiti. In regno Angliæ, Henricus I. in Concilio, quod ob eam rem conuocauerat, Mathildem Auguſtam, & eius filios, ſi quos deinceps generaret, heredes ſibi inſtituit. Verùm reſpondet idem auctor, in cuius opinione refellenda totus in hoc capite ſum, non ſucceſſiſſe Mathildem, ſed filium eius Henricum II. & hunc caſum eſſe dicit, quem Eduardus Rex Angliæ in controuerſia de regno Franciæ cum Philippo Valeſio allegabat, excluſa fœmina, non propterea excludi maſculos ex fœmina. Et fateor quidem hoc eſſe innatum omnibus gentibus, vt imperium fœminarum ægrè patiantur. Scribit Diodorus Siculus lib.3. Antiquit. cap.4. Herculem Lybicum aduerſus Amazonum gentem pugnaſſe; quod rem indignam exiſtimaret, cùm ipſe vbi-

que pro communi hominum ſalute pugnaret, quibuſdam gentibus fœminas imperare. Qua ratione quædam gentes fœminas à regnis repulerunt; non repulerunt maſculos ex fœminis. Vt apud Oſtrogotthos Athalaricus nepos Theodorici ex filia Amalaſiuntha, regnum Oſtrogotthorum in Italia tenuit: & mortuo Athalarico, Amalaſiuntha, ne pro ſexus ſui mollitie à Gotthis ſperneretur, Theodatũ conſobrinum regno præpoſuit, vt ſcribit Iordanes in libro de rebus Geticis, à quo poſtea occiſa eſt. Eadem de cauſa apud Bohemos Libuſſa coacta eſt maritum ſibi eligere, qui Bohemis imperaret, vt Aeneas Syluius refert cap. 5. hiſtoriæ Bohemicæ. At verò alij fuerunt populi, qui imperium fœminarum non reiecerunt, vt hi quos ſuprà numeraui: & Cyprij, Hieroſolymitani, Siculi: apud quos, cùm aliquando legimus viuis adhuc matribus regnaſſe filios, id interpretari debemus concedentibus matribus factum, quæ ius ſuum filijs ſuis vltrò ceſſerint. Vt Mathildem Auguſtam ceſſiſſe veriſſimum eſt, quæ pacta eſt cum Stephano, qui regnum Angliæ occupauerat, vt Henricus eius filius, mortuo

Stephano, tanquam verus hæres Stephani ſuccederet, ipſe vero Stephanus, quamdiu viueret, Rex Angliæ eſſet. Ceſſit etiam regnum Legionis Vrraca filio Alphonſo VII. retentis quæ voluit, vt ſcribit Rodericus Toletanus cap.3. lib.7. de rebus Hiſpaniæ. Ceſſit Berengaria filio Fernando III. regnum Caſtellæ, intra fines pudicitiæ, & modeſtiæ, ſuprà omnes mundi dominas ſe coarctans. His verbis vtitur Rodericus Toletanus cap.5. lib.9. Hæc Berengaria filia erat ſecundo genita Alphonſi VIII. quamuis eam primogenitã fuiſſe dicat Rodericus Toletanus prædicto loco: omnes enim alij Hiſpaniæ hiſtorici ſecundogenitam fuiſſe adſerunt: quæ prælata fuit Blancæ primogenitæ, matri D. Ludouici Regis Francorum, ne aliquando Hiſpani Francum Principem ſuperiorem obſeruarent. Et falſum eſt Henricum I. Regem Caſtellæ Blancam hæredem regni teſtamento declaraſſe: qui ea ætate deceſſit, qua teſtamentum condere non poterat, vt ex Roderico Toletano, Roderico Santio, & aliis hiſtoricis Hiſpaniæ luce clarius eſt. Alphonſus autem VIII. non Blancam, ſed Berengariam heredem regni declarauerat: vt Rodericus Toletanus ſupradicto

loco teſtis eſt: tantæ ei curæ fuit, Francos ab Hiſpaniæ imperio remouere. Quæcunque autem regna delata fuerunt fœminis, exceptis his, in quibus ſolæ fœminæ regnarẽ poterant, deficientibus tantum maſculis delata fuerunt, conuenienter ei, quod cap. 27. numerorum expreſſum eſt, *Homo cùm mortuus fuerit abſque filio, ad filiam eius tranſibit hæreditas.* Et in legibus ripuarijs tit. 58. *Sed dum virilis ſexus extiterit, fœmina in hereditatem auitiacam non ſuccedat.* Quamobrẽ, cùm olim in Hiſpania hic mos eſſet, qui hodie adhuc viget, vt viuis ipſis Regibus, illis, qui proximè ſucceſſuri in regno ſunt, iuramentum fidelitatis & hominium præſtetur; vt docui ſuprà in cap. 13. Si Rege filium non habente, iuramentum præſtitum filiæ fuiſſet, poſteà ſuſcepto filio, irritum fiebat, vt ex his verbis Toletani prædicto loco liquidò conſtat. *Ipſi enim,* loquitur de Berengaria, *decedentibus filijs, cùm eſſet inter filias primogenita, regni ſucceſſio debebatur: & hoc ipſum patris priuilegio probabatur, quod in armario Burgenſis eccleſiæ ſeruabatur & totum regnum, antequam Rex haberet filium, his iuramento, & hominio hoc firmarat.* Succeſſit autem patri non Berengaria, ſed filius poſtea genitus Henricus I. Verùm,

quod diximus, non niſi deficientibus maſculis fœminas ad regnorum ſucceſſionem admitti, non ita accipiendum eſt, vt neceſſe ſit omnes deficere maſculos, tam eos, qui ex deſcendentibus ſunt, quàm eos, qui ex latere ſunt coniuncti. Eſt enim generale in omnibus regnis, in quibus fœminæ poſſunt ſuccedere, vt mulieres, quæ ex recta linea deſcendunt, maſculis ex latere coniũctis præferantur: quemadmodum rectè Hiſpani iudicarunt, in controuerſia de ſucceſſione regnorum Caſtellæ, & Legionis, inter Ferdinandum Aragoniæ Regem, & Elizabetham eius vxorem. Nec ſatis rectè, vt opinor, idem ille, qui aliàs de republica doctiſſimè ſcripſit, tradit quoties in regnis Hiſpaniarum fœminea proles ſucceſſit, vi, vel dolo id factum: quod in Ferdinando admitto, qui regnum Aragoniæ, corruptis arbitris, & iudicibus controuerſiæ, adeptus eſt, cuius competitores omnes, quemadmodum & ipſe, ex latere coniuncti fuerunt: alij agnati, alij verò cognati: ab alijs autem ferè omnibus, ſiue fuerint fœminæ, ſiue mares ex fœminis, procul abfuit omnis fraus, & dolus, ſed iure illorum regnorum Caſtellæ, Legionis, Aragonię, Nauarræ, Portugaliæ, nullo

ex deſcendentibus maſculis ſuperſtite, vt proximiores gradu erant, in eis regnis ſucceſſerunt. In Scotia legimus apud Hectorem Boëthium lib.14. Robertum Regem, Concilio omnium ordinum conuocato, decreuiſſe, vt ſi legitima ei ſoboles maſcula deficeret, ad Eduardum Bruſſium fratrem eius regnum transferretur: qui, ſi abſque liberis maſculis decederet, tum Maria, Roberti filia, poſteríque eius regnum tenerent: quo modo frater filiæ præferebatur. Sed hæc lex ſpecialis fuit de ſucceſſione Roberti, non generalis de regni ſucceſſione. Itáque non eſſet in eo regno in conſequentiam trahenda.

De veteri Lege Francorum Salica.

CAPVT. XVI.

Lex, quæ mulieres arcet à regnorum ſucceſsionibus, non propria Francorum, ſed communis aliorum quorundam populorum. Eius legis ferendæ duplex ratio. Verba legis Salicæ. Vbi ea lex lata. An fuerit lata de regni ſucceſsione. Obſeruatam in prima, ſecunda, & tertia Regum progenie. Obſeruatam in prouincijs armis Francorum adquiſitis, aut alijs vnitis cum regno. Lex de Panagijs ſimilis Salicæ. In regnis, in quibus fœminæ arcentur à regni ſucceſsio-

ne, eas, aut deſcendentes ex eis maſculos non admitti deficientibus omnibus agnatis ex latere ad eorum regnorum ſucceſſionem.

LEx, quæ mulieres arcet à regnorum ſucceſſionibus, non propria Francorum eſt, ſed communis aliorum quorundam populorum. Duas eius legis ferendæ rationes præcipuas agnoſco. Vnam, ne in aliam familiam regnum transferatur, in quo ex certa progenie, & ſtirpe Reges aſſumuntur. Alteram, ne aliquando contingat extraneo Principi populum ſubijci. Illud enim mali, quod ſubacto, & domito armis populo euenit, vt exteris ſubjiciatur, id ex matrimonio filiæ Regis cum extero Principe contracto eueniret. Prior ratio maximè agnoſcitur in regno Iudæorum, quod electum eſt à Domino in virili Iudæ ſemine. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt.* cap. 49. Geneſ. & ſimiliter in eo regno, quod Iudæi Gedeoni deferebant: *Dominare noſtri tu, & filius tuus, & filius filij tui: quia nos liberaſti de manu Madian.* cap. 8. Iudicum. Poſteriore verò moti Magi Medorum, dicebant Aſtya-

gi Regi: ὦ, βασιλεῦ, καὶ αὐτοῖσι ἡμῖν περὶ πολλοῦ ἐστὶ κατορθῶσαι ἀρχὴν τὴν σήν· κεῖνος μὲν γὰρ ἀλλοτριοῦται, ἐς τὸν παῖδα τοῦτον περιεοῦσα ἐόντα πέρσην καὶ ἡμεῖς ἐόντες μῆδοι, δουλώμεθά τε, καὶ λόγου οὐδενὸς γινόμεθα πρὸς περσέων, ἐόντες ξεῖνοι. σεῦ δ' ἐνεστεῶτος βασιλῆος, ἐόντος πολιήτεω, καὶ ἄρχομεν τὸ μέρος, καὶ τιμὰς πρὸς σέο μεγάλας ἔχομεν. Herodotus lib.1. Apud Perſas, fœminas non potuiſſe in regnis ſuccedere, ex eodem Herodoto lib.3. conjicio, dum ſcribit Darium Regem Perſarum, qui hinnitu equi regnum adeptus eſt, duas Cyri Regis filias matrimonio ſuo copulaſſe, quo regijs nuptijs imperium ſuum firmaret. Idem etiam obtinuiſſe in ſecundo regno Perſico, argumento eſt, quod Hiſtoriæ rerum Perſicarum lib.3. legimus, mortuum Miſdatem, Regem Perſarum, vxorem grauidam reliquiſſe: & cùm regni ſucceſſio ad regnum vocaret, qui ex ea naſceretur: eſſet autem dubium marémne paritura eſſet, an fœminam, Magos conſultos prædixiſſe eſſe marem, & ſtatim Perſas cidarim ventri impoſuiſſe, & regem pronuntiaſſe. Plutarchus in vita Alexandri refert, Alexandrum magnum dixiſſe, nunquam paſſuros Macedonas imperium fœminarum: & moriens Antipater eos obteſtatus eſt, ne mulieres regno præeſſe permitterent, vt ſcri-

bit Diodorus Siculus lib.19.Procopius lib. 1. de bello Vandalico tradit, Gizerichum Vandalorum Regem teſtamento ſuo, quo regni Vandalorum ſucceſſionem ordinauit, Vandalis præcepiſſe, vt eius regni ſucceſſores exiſterent, qui ex maribus proximiores gradu eſſent. In Aethiopia Ferdinandus Aluares in deſcriptione Aethiopiæ teſtatur, excludi omnino fœminas à regno: nec in eo vllam cognationis, quæ per fœminas contingit, rationem haberi. Idem prorſus in hoc regno Francorum à primis eius cunabulis obſeruari placuit, lege de hac re, temporibus Pharamundi Regis, promulgata, quam electi ab alijs quatuor gentis noſtræ proceres tulerunt; vt ſcribit Sigisbertus in Chronicis, & præiudicata iam noſtrorũ hiſtoricorum opinio eſt. Eius legis verba hæc habentur tit. 62.legis Salicæ. *De terra verò Salica, in mulierem nulla portio hereditatis tranſit, ſed hoc virilis ſexus adquirit, hoc eſt, filij in ipſa hereditate ſuccedunt.* Similis eſt lex Angliorum, ſeu Thuringorum; *Ne hereditas tranſeat à lancea in fuſum.* Hæc lex Salica lata eſt in imperio Francorum Orientali: vnde nomen ſortita eſt. Salica enim lex dicitur, Francorum Orientalium, qui vltra Rhenum vſ-

que ad flumen Salam habitant: nondum enim Franci Rhenum tranſierant. Itaque ab omnibus Frācis,de imperio lata,omnes tenet.Poſtea diſtinctę leges eſſe cœperunt, Salica,& Francica: illa, Orientalium,hæc Occidentaliū Francorum: quæ, cùm plurimi in locis diſcreparent, cogitaſſe Carolum magnum,quæ deerant,addere,& diſſidentia conciliare,praua quoque,ac perperam prolata corrigere,ſcribit Eginhartus in eius vita. Hanc legem Salicam quidam Franci, quod mirum eſt,impugnare auſi ſunt. Non de publico regni iure, ſed de priuato tantùm conſtitutam eſſe ſcripſerunt. Eſt enim poſita ſub titulo de alode.Tantum abeſt (dicunt) vt de regni hereditate aliquid ſanciat, vt ne quidem de feudis,ſed de ſucceſſione in alodijs ſolùm loquatur. At certè non potuit de feudorum ſucceſſione aliquid ſtatuere,nondum enim origo feudorum promanarat. De Alodijs non tantùm dixit, ſed generaliter ita concepta eſt, ***De terra Salica in mulierem***, & cet. Denique etſi de Alodijs tantùm loquutam fateremur; cùm nihil de ſucceſſione regni,legibus publicis regni cautum alibi reperiamus, controuerſia de regno, ſecundum ius priuatum regni, non ſecun-

dum ius priuatum aliorum populorum dirimenda eſſet, & ius ſucceſſionis in regno conſtituẽdum. Ex quo ſemper vſu regni recepta hæc lex fuit in regni ſucceſſione: cuius rei plura exempla in prima, & in tertia Regũ progenie ſuppetunt, quæ hic conſultò omitto: quod iam alij illa nota fecerint. Addam ſolùm in ſecunda Regum progenie, hanc legem obſeruatam fuiſſe. Mortuo enim Ludouico Imperatore, & Rege Italiæ, filio Lotharij Imperatoris, nepote Ludouici Pij, non ſucceſſit ei filia Hermingarda, quæ nupſit Boſoni, Regi Burgundiæ ab Imperatore Carolo Caluo creato, nõ quia Hermingardæ aliqua portio regni paterni deberetur, ſed quia ad maieſtatem imperatoriã putaret Caluus pertinere, Reges etiam facere. Quod argumentum certiſſimum præbet, non ſolùm in hoc regno, verùm etiam in regnis, & prouincijs armis Francorum adquiſitis legi Salicæ locum eſſe, nec in eis poſſe fœminas generis Franci ſuccedere. Nam etiam lex illa, quæ in Francia primùm Orientali lata eſt, vt dixi, tranſijt ſimul cum ipſo Francico imperio, in Occidentalem, armis Francorum poſteà domitam, & ſubactam. Et idem exiſtimo, ſi alio modo, quàm armis, quædam prouinciæ ad Reges

Francorum peruenerint, & ſemel incluſæ in regno, aut, vt ita loquar, vnitæ cum regno fuerint. Quin etiam, cùm in tertia Regum progenie, partitio regni inter filios Regis amplius facta non ſit, quæ in prima, & ſecunda Regum progenie fieri ſolebat, vt docui ſuprà in cap. 13. ſed Ducatus quoſdam, Comitatus, Caſtella & oppida Rex fratribus ſuis attribuere ſoleat, quæ vulgò in Panagium eis dari dicimus: in his etiam fœminas à ſucceſſione excludi veriſſimū eſt. Quamobrem, Ioanne Duce Bituricenſi mortuo, non ſucceſſit eius filia in Ducatu Bituricenſi, qui ei in panagium datus fuerat, ſed in Ducatu tantùm Aluerniæ, & Comitatu Montiſpenſerij. Ducatus Bituricenſis ad regnum rediit, ſecundum legem Panagijs dictam. Et mortuo Carolo, Duce Burgūdiæ vltimo, Ducatus Burgundiæ ad regnū rediit, quem optimo iure Rex noſter poſſidet. Illud quæri poteſt, an in eo regno, in quo fœminæ à ſucceſſione regni perpetuò excluduntur, deficientibus omnibus maſculis, tam deſcendentibus, quàm eis, qui ex latere veniunt, fœminæ, aut ſaltem mares ex fœminis, ad regni ſucceſſionem admittendi ſint. Et ego arbitror admitti non debere. Primùm enim lex generalis eſt: per-

petuò prohibet eas ſuccedere. Leges ſupplere noſtrum non eſt, ſed interpretari tantùm. Interpretatione verò legis admitti nequeunt: quoniam vtraque legis ferendæ ratio, quam ſuprà protuli, repugnat. Mulieres ex domo regia, non domui regiæ liberos pariunt, ſed ei cui nubunt. Accidere quoque poteſt, vt extero Principi nubant: quo caſu populus exteri Principis imperio pareret, & cautio legis inanis eſſet. Itáque ſatius eſt reſpondere, mortuo Rege ſine liberis, & agnatis, liberam eſſe Ordinum regni diſpoſitionem, quæ regno proſpiciat.

Ius ſucceßionis regni in fœminis, & deſcendentibus ex fœminis perſæpe violatum; ne populus externum Regem haberet.

CAPVT XVII.

Vtilitas legum, quæ fœminas repellunt à regnorum ſucceſsionibus. Ius ſucceſsionis in fœminis, aut deſcendentibus ex fœminis violatum, à Britannis, Pictis, Siculis, Hiſpanis, Luſitanis, Aragonÿs.

PLACET hic exempla quædam proponere, quibus manifeſtum ſit, vicinos populos Franciæ noſtræ, cùm in eorum regnis fœminæ de more ſuccedant, ſæpe tamen hoc ius vio-

ius violaſſe, ne exteri Principis dominationem paterentur. Ex hoc enim elucebit vtilitas illarum legum, quæ eas perpetuò à regni ſucceſſione remouent. Eſt enim, longè melius, mala quæ rebus publicis euenire poſſunt, antè præcauere, & à rebuſpublicis perpetuò repellere, quod legibus potiſſimùm fit; quàm poſtquam contigerint, ne illa reipublicæ noceant, omnia iura, & fœdera violare. Quemadmodum fecerunt illi populi, de quibus nunc exempla ſubijciam. Scribit Hector Boëthius lib. 19. hiſtoriæ Scotiæ, apud Britannos olim, mortuo Vtero Rege, relicto Arthuro filio notho, & ſorore legitima vxore Lothi, Regis Pictorũ, quæ lege regni hæres eſſe debebat, Britãnos Arthurum nothũ prætuliſſe, ne ſubijcerentur Pictis: inde verò grauiſſimũ ſubortum eſſe bellum inter Britannos, & Pictos: procedente autem tẽpore fœdus ictũ fuiſſe inter Arthurum, & Lothum; fœderis verò has leges fuiſſe, vt Arthurus, quoad viueret, in Britannia regnaret: eo vita functo, Modredo filio Lothi, & eius liberis, ſi qui naſcerentur, regnum Britanniæ deferretur: hoc verò etiam fœdus violaſſe Britannos, ne exterum Regem haberent, viuo

Arthuro, Conſtantinum Britannici ſanguinis Principem eligentes, qui Arthuro poſt eius mortem ſuccederet: vnde excidium paratum eſt Britannis. Nam fractis, continuis bellis aduerſus Pictos, regni viribus, ab Anglis denuo ſunt ſubacti, Britanno nomine in ea inſula penitus extincto: quæ ab eo tempore Anglia, ab Anglis Saxonibus dicta eſt. Picti quoque Alpinum, regni, ex filia Regis Pictorum, heredem, reiecerunt, quod peregrinus eſſet, nempe Scotus, vt refert idem Bouethius lib. 10. In Italia Fridericus Aragonius, Siciliæ Rex, Petro filio herede inſtituto, cùm plures alios filios, & filias haberet, teſtamento præcepit, vt ſi filij omnes maſculi decederent, fieret vnio regni Siciliæ cum regno Aragoniç, excluſis filiabus ſuis, quo modo etiam, patrum noſtrorum temporibus, facta eſt vnio Ducatus Britanniæ cum Regno Franciæ, accedente Ordinum Britanniæ conſenſu. In regno Caſtellæ, & Legionis, dixi ſuperiore capite, prælatam Berengariam ſecundogenitam Blancæ primogenitæ Alphonſi VIII. matri D. Ludouici, Regis Frãcorum. Et in Luſitania, prælatus ſpurius, profeſſus religionem ordinis militaris, Beatrici, filiç de-

functi Regis, vxori Ioannis Regis Caſtellæ, ne Caſtellanum Principem Luſitani haberent. In regno Aragonum bis Franci excluſi, quibus regnum iure cognationis ex linea materna debebatur. Primùm mortuo Ioanne I. Ioanna filia eius primogenita non ei ſucceſſit, quæ nupſerat Matthæo Foxæ Comiti; ſed Martinus, Ioannis frater. Deinde Martino mortuo ſine liberis, non ſucceſſerunt neptes eius ex fratre, dicta Ioanna, & Violanta, quæ nupſerat Duci Andegauenſium, Regi Neapolitano, ſed nepos ex ſorore Leonora, Ferdinandus. Ita iudicarunt iniquiſſimi iudices arbitri controuerſiæ electi, vide de hac controuerſia Marineum Siculum lib. II. de rebus Hiſpaniæ, & Laurentium Vallæ lib. 2. de Ferdinando Aragoniæ Rege qui ſaltem natum ex maſculo præferre debebant Vrgelli Comitem, quamuis remotioris gradus, ſi vt dicebant, filiarum ſucceſſioni non erat locus in regno Aragoniæ. Sed ſatis eis fuit Francos à ſucceſſione regni eis debita remouere, Francos, non Reges, ſed Principes, & ex his etiam Matthæum, qui bis repulſam paſſus eſt, non regij Francici ſanguinis.

An ea lege, qua fœminæ excluduntur à regni ſucceßione, excludantur etiam à regni procuratione, & regimine.

Capvt. XVIII.

Aliam eſſe rationem ſucceſsionis regni, aliam procurationis & adminiſtrationis oſtenditur contra Hotomanum: nec incommoda ius impedire.

QVi per ſe, Reginam eſſe, ius non eſt, eidem regendi ius, ac poteſtatem non eſſe quidam ſcripſerunt. Vnde inferunt, mulieres non ſolùm ab hereditate regni, verùm etiã ab eius procuratione remouendas. Quæ propoſitio falſa eſt. Nam alia eſt ratio procurationis regni, alia ſucceſſionis. In procuratione nullus ſubeſt metus, ne in aliam familiã regnum tranſeat, ne populus extero Principi ſubjiciatur. Ceſſant igitur in regni procuratione rationes, quæ à ſucceſſione regni mulieres repellunt. Impotenter ſolent dominari fœminæ. Franci, & alij generoſi populi imperium fœminarum ægre patiuntur. Miras tragædias excitare ſolent fœminæ in regnis, quorum adminiſtratio eis committitur. Verùm incommoda ius non impediunt. Alia eſt diſputatio de iure, alia

de incommodis. Dico, legibus eorum populorum apud quos mulieres à regni ſucceſſione repelluntur, non tamen eas à regni procuratione repelli. In Aethiopia, dixi ſuperiore capite fœminas non ſuccedere. At Helenam, matrem Regis Aethiopiæ, procurationem regni habuiſſe, filio minore annis, ſcribit Oſorius lib. 6, Hiſtor. Portùgalliæ. In Francia, ſæpius regijs matribus, & vxoribus commiſſam notum eſt· multa Renatus Chopinus lib. 3. de domanio cap. 5. exempla affert. Duos ego tantùm locos adducam, quibus hoc ius eſſe in regno Franciæ, vt procuratio regni mulieribus demandari poſſit, manifeſtum fiet. Scribit Aimoinus cap. 1. lib. 4. agens de Brunechilde, quæ nothos Theodorici præponere regno Auſtraſiorum moliebatur, eam ad Clotariū Regem, qui Captonacū vſque venerat in Auſtraſiam, direxiſſe, obteſtantem vt de regno Theodorici, quod filijs reliquerat, ſecederet. Clotariū autem reſpondiſſe, conuentum nobilium debere eam aggregare Francorum, & communi tractatū de communibus rebus conſulere: ſe verò iudicio illorum in omnibus pariturum, nec præceptis promiſit obſtaturum. Quæro autem cuius ſit conuen-

tum Francorum indicere, & aggregare, quàm eius, qui regnum, vel regni procurationem habeat. Alter locus eſt eiuſdem Aimoini cap.43. lib. 4. *Decedente*, (inquit) *præfato Rege Clodoueo, Francos Clotarium, ſeniorem puerum ex tribus, Regem ſibi ſtatuiſſe, cum ipſa Regina matre regnaturum*, id eſt, vt proculdubio interpretandum eſt, Regem dictum Clotarium; regni verò adminiſtrationem Reginæ matri commiſſam.

De ſucceſſione fœminarum in feudis, & alodijs.

CAPVT. XIX.

Lex Voconia ſublata à Iuſtiniano. Aliæ leges in mulierum gratiam ſublatæ. Lex Salica ſublata, præterquam in ſucceſsione regni. Moribus Longobardorum fœminæ in alode ſuccedunt. Non ſuccedunt in feudo, niſi ex pacto, aut niſi feudũ ſit fœmineum. Quodnam dicatur feudum maſculum, & quodnam fœmineum. Exẽpla vtriuſque feudi maſculi, & feudi muliebris. Eius diſtinctio in Gallia nec omnino vtilis, nec etiam omnino inutilis.

QVAE Lex Voconia de mulierum conditione ſtatuit, in capienda, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato, hereditate, alij ante prodiderunt. Balduinus ex profeſſo tra-

ctauit in opuſculo de lege Voconia. Ea verò à Iuſtiniano antiquata eſſe certum eſt, qui per omnia, tam in ſucceſſionibus ex teſtamento, quàm ab inteſtato, fœminas maribus exæquauit.l. Maximum. C. de liberis præter. vel exhered l.pen.& fin. C. de legit. hered. nouella 118. Idem Iuſtinianus nouella 21.& edicto 3.damnauit mores Armeniorum, fœminas excludentes à ſucceſſione, parentum, liberorum, cognatorum. Quibus rationibus motus tantum mulieribus indulſerit,in legibus ſuis exprimit. Verius fortaſſe eſt, vxoris blanditijs illectum hæc ſtatuiſſe, quam plus ipſo apud eum potuiſſe;& duorum,non vnius imperiū extitiſſe ſcribit Zonaras in Annalibus. Alia ratione apud Danos Zuenotto Rex, quoniam eum captū à Vandalis fœminæ collatis ſuis ornamentis, & ſuppellectile pretioſa redmerãt,ius vetus, durum nimis fœminis, antiquauit, exæquatis illis maribus in legitimis ſucceſſionib⁹:vt ſcribit Albertus Krantzius cap. 22. lib.4. Daniæ: & cap.33.lib.2.Vandaliæ.Contrà Saxones,qui cum Longobardis in Italiam migrauerant, & domum reuerſi, Sueuos qui eorum terram occuparant, deuicerant, legem condiderunt:mulieres Saxonici generis,quot-

quot nupſerant Sueuis, alienas à ſucceſſione paterna haberi: & ob eã rem in eorum conſuetudinibus deterior eſt facta in multis mulierum conditio, vt idem auctor docet cap. 30. lib. 1. Saxoniæ. Apud Francos Lex Salica lata eſt, quæ generalis eſt, vt dixi in cap. 16. tam ad ſucceſſionem regni, quàm ad priuatorum hereditates pertinens. Sed ea diſplicuit poſtea Francis, excepta ſucceſſione regni, vt ex quadã Marculphi formula docet Cuiacius cap. 14. lib. 8. Obſeruat. Vnde aliud moribus Francorum obtinet in feudorũ ſucceſſione, aliud legibus, & moribus Lõgobardorum. Nam Longobardorum legibus fœminæ in alode quidem ſuccedunt tit. 17. lib. 2. feudorum: ſed non in feudo, tit. 1. §. hoc autem. tit. 8. §. filia verò. lib. 1. & tit. 36. lib. 2. feud. niſi pacto comprehenſum fuerit, vt fœminæ ſuccederent: tunc enim fœminæ ſuccedent, deficientibus tamen maſculis: tit. 8. §. fin. lib. 1. & tit. 17. 18. 51. lib. 2. feud. Maſculo verò ſemel admiſſo, vlteriùs fœminæ non admittuntur, vt expreſſum eſt in tit. 4. verſic. quinetiam. lib. 1. feud. quod ita malè quidam acceperunt, vt filia ſemel excluſa, ſemper habeatur pro excluſa. Accipiendum eſt enim potiùs, quemadmodũ rectè

Cuiacio viſum eſt, vt maſculus admiſſus lineæ ſuæ locum faciat, nec filia, aut linea filiæ priùs adſumatur, quàm linea filij, aut lineæ filiorum, ſi plures filij fuerint, abſumptæ ſint. Etiam & ſuccedunt fœminæ in feudis, ſi feudum ſit fœmineum, ſeu muliebre. Fœmineum feudū propriè dicitur, id de quo mulier primùm inueſtita fuerit. tit.8. lib 1.& tit.30.lib.2. In quo obtinet, vt fœminæ extantibus maſculis, ſimul cum ipſis maſculis, ad ſucceſſionem feudi admittantur: quemadmodū ſi in inueſtitura dictum eſſet, vt fœminæ, ſicut mares, ſuccederent; fœminæ ſimul cum maribus ad feudi ſucceſſionem admitterentur, cap.ſi cui militi in capit.extraord. Nam cùm ab initio mulier capax feudi habita fuerit, non in defectum marium vocata, qualitas in eo feudo ſemper remanere intelligenda eſt, quæ in eo primùm fuit: arg.l.Pater.§. quindecim.de legat.3. Non eſt autem dicendum, omne feudum, quod habet fœmina, fœmineum eſſe. Aliud eſt enim eſt feudum habere fœminam: aliud feudum eſſe fœmineum. Feudum paternum, quod ex more regionis, vel ex pacto tranſijt in fœminā, non propterea fœmineum eſt, quia in fœminam tranſierit, quod pa-

tabant Obertus,& Gerardus: quorum opinionem alij valida ratione refellebant, quæ reponitur in tit.30.lib.2.feud. cuius interpretationem hîc ſubijcere ſuperuacaneum eſt, cùm ab interpretatione Cuiacij nullatenus diſcedendum exiſtimem. Hi igitur ſunt duo caſus, quibus fœminæ in feudis ſuccedunt, ex pacto, vel, ſi ſit feudum fœmineum. Si non ſit feudum fœmineum, nec pacto comprehenſum ſit, vt in eo fœminæ ſuccedant, procul à ſucceſſione feudi fœminæ remouebuntur. Quod feudum vulgò appellamus maſculum, malè. Quoniam ſi fœmineum dicimus id, de quo mulier primùm inueſtita fuerit: & maſculum dicemus, id, de quo mas primùm fuerit inueſtitus. Quamobrem, ſi maritus, & vxor ſimul de feudo inueſtiti fuerint pro ſe, & deſcendentibus ſuis, hoc feudum mixtum ex vtroque dicitur, & partim eſſe maſculum, partim fœmineum. In quo obtinet, vt ſi ex eo matrimonio ſuſcepti fuerint liberi vtriuſque ſexus, mares totum feudum obtineant, excluſis filiabus. cap. ſi cui militi in capit. extraord. Nam qua ratione feudum maſculum eſt, fœminæ non admittuntur, ne quidem deficientibus maſculis: qua verò ratione fœmineum eſt,

mares ſimul cum fœminis admittuntur. Potentius eſt igitur ius marium, quàm fœminarum, qui ideo fœminas excludunt. Sed ſi fœmina ex hoc matrimonio ſuſcepta fuerit, mas verò ex anteriore, quia ius maſculi, & fœminæ par eſt, fiet diuiſio feudi inter illos. Qua enim ratione feudum maſculum eſt, fœmina excluditur; qua verò fœmineum, mas, qui non eſt ex eo matrimonio progenitus: vterque igitur parentis ſui partem vindicat. Præualet tamen vſu cõmuni, vt feudum maſculum dicamus, in quo fœmina non ſuccedit. Veluti Ducatus Auſtriæ, feudum olim maſculũ erat; quod ea ratione, quaſi ad ſe reuerſum morte Friderici, Ducis Auſtriæ, defuncti ſine maſculis heredibus; repetijt Rodolphus Imperator ab Othocaro Bohemiæ Rege. Ducatus quoque Aquitaniæ, quem ſibi vindicabat Ludouicus Rex Franciæ, mortuo Guillielmo Aquitaniæ Duce, abſque herede maſculo. Similiter Ducatus Saxoniæ: Nam Albertus Krãtzius cap. 21. lib. 3. Saxoniæ ſcribit: Cùm Dux Saxoniæ Magnus rebus exceſſiſſet humanis, nulla relicta ſobole maſcula, ſed duabus tantùm filiabus; Henricum ꝛc. ad quem feudali iure ducatus ille reuerſus

erat; illum dediſſe Ludero Comiti. Ducatus Maſouiæ, Plocenſiū, Rauenſium, atque Belſenſium feuda eſſe maſcula, Cazimirus III. Rex Poloniæ contendebat aduerſus amitas, & proximos alios cognatos demortuorum Ducum, vt ſcribit Cromerus lib. 24. Et ducatus Maſouiæ in noua inueſtitura facta filijs Conradi Ducis Maſouiorum, in feudum maſculum conceſſus eſt ab Alexandro Rege Poloniæ, vt idem Cromerus auctor eſt lib. 30. Contrà verò feuda non maſcula erant, Comitatus Artenſium, Flandriæ, Ducatus Burgundiæ, antequam daretur Philippo fratri Caroli V. Regis Franciæ: poſtquam ei datus eſt, ſecundum legem dictam panagijs, cœpit eſſe feudum maſculum. Ducatus quoque Britanniæ, antequam vnio fieret ducatus cum regno, feudū erat muliebre. Sic enim vſu quoque obtinuit feudum appellari, in quo fœminæ ſuccedunt. Hæc diſtinctio feudi maſculi, in quo mares tantùm; muliebris, in quo, etiam fœminæ ſuccedunt, non ita videtur neceſſaria in Gallia, quoniam per totam ferè Galliam, fœminæ in feudis ſuccedunt ſine pacto: cùm in hoc regno feuda ad inſtar patrimoniorum redacta ſint. Illa verò neceſſaria eſt feudi

maſculi, de quo maſculus primùm inueſtitus fuerit; & muliebris, de quo mulier. Nam, vt dixi, in hoc feudo fœmineo, ſeu muliebri, quod propriè ſic appellatur, fœminæ vnà cum maribus ſuccedunt. Reperio tamen diſſentire Benedictum in cap. Raynutius. de teſtam. ext. in verbo Duas habens filias. Cuius opinionem reciperem, vbi pater inueſtitus fuerit de feudo eo pacto, vt in deſcendentes ſuos tã maſculos, quàm fœminas feudum tranſeat: quoniam hoc pactum interpretari conuenit ſecundum naturam feudorum, quæ eſt huiuſmodi; vt ſi pactum fuerit, vt fœminæ in feudum ſuccedant, non tamen admittantur ad ſucceſſionẽ feudi, niſi deficientibus maſculis tit. 9. §. quinetiam. tit. 8. §. filia. lib. 1. feud. At non vbi feudum fœmineum eſt; vel vbi conuenit, vt fœminæ ſicut mares ſuccederent. Nam tunc vnà cum maribus fœminæ admittentur. Poſteriore enim caſu, aperta eſt voluntas paſciſcentium. Priore nõ obſcura voluntas domini, qui qualitatem, vt ſic loquar, fœmineã ab initio feudo dedit, muliere primùm de feudo inueſtita. Quibus conſequens eſt, vt quamuis iure feudorum filiæ non ſuccedant, vbi pater inueſtitus fuerit de feudo

pro ſe, & legitimis heredibus ſuis: quia verbum heres accipitur eo iure pro filio maſculo, non pro filia: tit. 13. lib. 1. & tit. 34. §. ſimiliter lib. 2. feud. tamen, vbi conſuetudo eiuſmodi viget, vt fœminæ in feudis ſuccedant, verbo heredis filia quoque comprehendatur. Planè vbi feudum datum eſt, vt nullum pro eo ſeruitium fiat, vel feudum datum eſt ad certum ſeruitium, quod fœminam exequi non dedecet, conſtat in eo feudo fœminas ſuccedere d. cap. ſi cui militi in capit. extraord. Nam tunc ceſſat ratio, quæ fœminas repellit à ſucceſſione feudi. Hæc verò eiuſmodi eſt, quòd fœminæ non poſſunt faidam liberare. l. 1. de ferita aut percuſſura liberi hominis, & l. 8. de inciſione pedum in legibus Longobardicis. Faida verò eſt bellum, aut inimicitia.

Quando fœminæ, aut deſcendentes ex fœminis, agnatis in ſucceßione regni, vel feudi præferantur.

CAPVT XX.

Agnatorum conſenſus non neceſſarius, quando filia feudum redemit à domino. Neceſſarius, cùm vaſallus feudum refutat in gratiam filiæ. Fœminas contra ius feudorum agnatis eſſe præferendas in regnorum ſucceſsionibus.

SI mortuo vaſallo, filia feudum redemerit à domino, cui ob benemerita patris dominus feudum dare voluit, filia omnibus agnatis præferetur, tit. 24. lib. 1. feud. quem locum de paterno feudo intelligendum eſſe, non de nouo, indicant ſatis ſequentia verba illius tituli. *Non reuocetur ab vllo ex parentibus ſuis*, id eſt, agnatis. Nec requiritur agnatorum conſenſus, quamuis eum deſideret tit. 39. lib. 2. feudorum. Nam, vel mortuo vaſallo, filia vaſalli feudum redimit à domino, vel vaſallus feudum refutat domino, in gratiam filiæ. Priore caſu, non eſt agnatorum conſenſus neceſſarius, & excludit agnatos filia; ſed non in perpetuum, quia non propterea deſinit feudum eſſe paternum. Poſteriore vero, neceſſarius eſt, d. tit. 39. Si refutato in gratiam filiæ feudo, dominus filiam vaſalli de feudo inueſtiuerit, non conſentientibus agnatis, agnati rectè feudum vindicabunt, quaſi ad ſe deuolutum, tit. 8. §. hoc quoque lib. 1. feud. quia non potuit feudum ſine eorum conſenſu in perſona filiæ confirmari, d. tit. 39. cùm per inueſtituram factam in perſona filiæ, qualitas feudi immutetur, incipiat eſſe nouum feudum, quod erat paternum;

atque eo modo perpetuò agnati à ſucceſſione feudi excluderentur: meritò igitur eorum conſenſus neceſſarius eſt. Aliud eſſet, ſi feudum refutaretur in gratiam eorum, qui omnino feudum habituri eſſent, vt in tit. 14. lib. 2. nam tunc non deſineret feudum eſſe paternum: quoniam nulla præſumeretur in eo, qui refutaſſet, mens immutandæ qualitatis feudi, ſed tantùm voluiſſe eum, vt filij ſui, aut proximiores agnati de feudo inueſtirentur, antequam ipſe è viuis exiret. Nec his obloquitur tit. 15. lib. 2. quoniam potuit ibi maritus iuſtè cõtendere, partem feudi, quam à domino redemerat, nouum eſſe feudum: quia dominus partem alteram feudi ſibi retinuerat, quam non potuiſſet retinere, ſi feudum paternum fuiſſet, de quo agnatus nondum agebat aduerſus dominum. Et hoc, quod dicebat maritus feudum eſſe nouum, præiudicare ei non poterat: quin, ſi poſtea agnatus feudum eſſe paternum euiciſſet, alio ipſe defenſionis genere vti poſſet, l. Nemo prohibetur. D. de except. nempe filiam redimentem feudum agnatos excludere. Sed etiam filia agnatis præferetur, ſi pacto in inueſtitura comprætenſum ſit, vt filijs deficientibus filiæ ſuccedant: aut ſi talis

lis conſuetudo ſit, vt agnatis præferantur. Nam, vt ſuprà dixi, totum hoc ius feudorum conſuetudinarium eſt. Idémque in regnis obtinet. Nám ſi eiuſmodi lex ſit, aut conſuetudo, vt tunc ſolùm fœminæ admittantur, cùm nemo ex ſobole maſcula ſupererit; agnati proculdubio fœminis præferentur: quale fuit, quod in Sabaudia quondam obiectum fuit Ioanni III. Duci Britanniæ, qui filiam Othonis Comitis Sabaudiæ vxorem duxerat: hoc ius eſſe in Sabaudia, vt fœminæ ſuccedant, deficientibus omnibus maſculis, tam deſcendentibus, quàm ex latere. Sin autem contraria lex ſit, vel conſuetudo, fœminæ agnatis præferentur, vt in regno Caſtellæ, & Legionis obſeruari dixi in cap. 15. & in dubio ſeruandum eſſe iudico, in omnibus regnis, in quibus fœminæ à ſucceſſione regni non excluduntur. Hoc enim iuri communi magis conuenit, quod magis ſpectandum eſt, quàm ius feudorum, quod eſt locale. Et hæc addenda ſunt his, quæ diſſerui ſuprà in d. cap. 15.

De ſucceßione eorum, qui ex latere per fœminas coniunguntur, in regnis, & feudis.

CAPVT. XXI.

Conſtitutionibus ſublatam differentiam agnationis, &

cognationis. Quod ius magis hodie ſeruatur in Gallia, quàm ius feudorum. Iure feudorum excluſa fœmina excludit ab eo iure & gradu maſculum ex fœmina: non ſic moribus noſtris. Eodem iure feudorum maſculos ex fœminis, fœminis præferri. In ſucceſsionibus regnorum linearum ratio ſubducenda eſt, quò certa ſit regni ſucceſsio.

CONSTITVTIONIBVS ſublatam eſſe differentiam agnationis, & cognationis, quæ olim erat, vulgò notum eſt. Quamobrem ſine diſcrimine ſexus, & cognationis, ſecundum gradus prærogatiuam hodie ſucceditur. Hoc ius placuit magis ſeruari in Gallia, quàm ius feudorum: aut certè conſuetudines de feudorum ſucceſſionibus in pleriſque Galliæ regionibus, iuris ciuilis Romanorum potiùs, quàm iuris feudorum diſpoſitioni conueniunt. Iure feudorum, dixi ſuprà, fœminis ex pacto in feudo ſuccedentibus locum non eſſe, niſi deficientibus maribus, tam deſcendentibus, quàm ex latere. Itáque eo iure, natus ex maſculo fœminam excludit gradu propiorem: & maſculum quoque ex fœmina. Nam certiſſima eſt illa regula, quam interpretes vulgò conſtituunt. Deſcendentes ex fœmina excludi ab illo iure, & gradu, à

quo fœmina excluditur. Refert tamen Papo Arreſt. lib. 21. aliter iudicatum fuiſſe: quòd lex feudalis dura nimis, & inhumana viſa ſit, quæ cùm ad conſeruationem familiarũ pertineat, non video cur adeo dura, & inhumana habenda ſit. Sed cùm, vt ſæpe dixi, totum hoc feudorum conſuetudinarium ſit; diligenter locorum, & regionum conſuetudo ſpectanda eſt. Cõſuetudine Pariſienſium feudali cautum eſt, in linea collaterali non ſuccedere fœminas cum maſculis in pari gradu: in diſpari fœminam, quæ proximior gradu eſt, maſculo præferri. Nihil de maſculo ex fœmina expreſſit. Hunc igitur verius erit cũ nato ex maſculo ſimul admitti: quoniã, cũ conſuetudo prætulerit fœminã proximioris gradus maſculo gradus remotioris, non tam videtur rationem habere voluiſſe conſeruationis familiarum, quàm maſculæ perſonæ; quæ, quoniam magis capax eſt feudi, quàm fœmina, ideo in pari gradu maſculum fœminæ prætulit. Et hoc etiam rectè ſentit Molineus in conſuetudines Pariſ. §. 1. tit. 16. Contrà, ſi conſuetudo conſeruationem familiarum reſpiciat, quam procul dubio reſpicit, ſi in pari, & diſpari gradu, natum ex maſculo fœminæ præfert: na-

tum ex maſculo, excludere maſculum ex fœmina, dicendum eſt: quemadmodum & ipſam fœminam excludit. Quod pariter in regnis, atque in feudis admittendum videtur. Legibus autem Scotorum de ſucceſſione regni cautum eſt; Nepotem ex germano procreatum præferri ei, qui ex ſorore natus fuerit, vt refert Hector Boëthius lib. 11. hiſtor. Scot. Sed quæſtio eſt de maſculis natis ex fœminis, an hi fœminis præferantur. Et iure feudorum præferri certum eſt tit. 17. & tit. 51. §. ſimiliter & tit. 104. lib. 2. feud. etiamſi fœminæ gradu præcedant, vt cenſet gloſſa in d. tit. 17. Quo iure nitebatur Robertus Bruſſius in contentione de regno Scotiæ cum Ioanne Balliolo. Ipſe enim ex ſecunda filia Dauidis Hudintonij Iſabella ſuſceptus erat: Dornagilla filia Alani, & Margaretæ primogenitæ eiuſdem Dauidis, nupſerat Ioanni Balliolo. Dicebat ipſe in feudis, & in regnorum ſucceſſionibus, vbi par eſt cognationis gradus, mares eſſe fœminis præferendos. Polyd. Virgil. lib. 17. hiſtor. Angl. Boëthius lib. 14. hiſtor. Scot. Verùm in ſucceſſionibus regnorum, controuerſiam, quæ inter agnatos, vel cognatos de ſucceſſione regni ſuboritur, dirimendam alia ratione

verius eſt. Ordo linearum, quæ ab ſtipite prouenerunt, accuratè obſeruandus eſt: vt qui maſculus eſt ex proximiore linea, hic ad regnum admittatur, ſi modò & is proximior gradu ſit, alioquin fœmina, quæ ex eadem linea proximior gradu eſt, admittatur: eâ lineâ abſumptâ, alia linea proximior vocetur, & ſic in infinitum. Omnes autem lineas æqualiter vocari non oportet, quemadmodum in feudis æqualiter vocantur tit. 50. lib. 2. feud. quoniam, cùm regnum non diuidatur, ſed vnus tantum illud obtinere debeat: & accidere poſſit, vt duo, vel plures ex diuerſis lineis, eodem gradu defuncto cõiuncti reperiãtur, oportet, quò ſucceſſionis ordo certus ſit, ordinem illum linearum obſeruare. Veluti, ſi Rex obierit relictis tribus filijs, Carolo, Franciſco, Henrico, & relictâ filiâ Margaretâ: abſumptâ lineâ Caroli, linea Franciſci, adſumetur; abſumptâ Franciſci, linea Henrici: & hac quoque extinctâ, linea filiæ. Et ex his ſingulis progeniti liberi, lineas ſimiliter facient. Veluti ſi Carolus obierit relictis duobus filijs Ludouico, & Ioanne, & vna filia Claudia; Franciſcus verò relicto Matthæo & Leonora, priùs adſumetur linea Ludouici; eâ abſumptâ,

linea Ioannis; eâ quoque extinctâ, linea Claudiæ; quâ etiam abſumptâ, linea Matthæi; & illâ quoque extinctâ, linea Leonoræ, & ſic in infinitum fiet. Vnde apparet, in illa controuerſia de regno Scotiæ, de qua ſuprà dixi, meliori iure ſubnixum fuiſſe Balliolum: licet alter poſt grauiſſima bella, quibus regnum Scotorum penè abſumptum eſt, tandem rerum potitus ſit. Et in controuerſia de regno Aragoniæ, de qua dixi in cap. 17. neptis ex fratre præferri debuit nepoti ex ſorore: quia linea fratris priùs vocari debebat, quàm linea ſororis: nec maſculus ex remiotiore linea præferendus erat fœminæ ex linea proximiore. Nam, vt dixi ſuprà in cap. 15. in regnis, in quibus fœminæ non excluduntur â regni ſucceſſione, perpetuum eſt, vt fœminæ quæ ex recta linea deſcendẽtium veniunt, agnatis ex latere præferantur: niſi aliud lege, vel conſuetudine obtineat. Et in his etiam, vt quiſque proximior gradu eſt, & ex linea proximiore, ita ad regnum vocatur, ſiue mas ſit, ſiue fœmina. Maſculus fœminam non excludit, niſi in eodem gradu, & eadem linea vterque ſit.

De effectu naturalis obligationis inter patrem, & filium, vel inter filios, qui in eiuſdem patris poteſtate ſunt.

Capvt. XXII.

Interpretatio L. Frater. D. de Condict. indeb. Effectus naturalis obligationis. Qui eius obligationis effectus ſunt inter patrem & filium, quandiu filius eſt in poteſtate: eoſdem etiam eſſe, inter fratres qui ſunt in eiuſdem patris poteſtate. Hotomani & aliorum reiecta interpretatio. Non omnino probata Cuiacij. Naturalem obligationem non adquiri patri, per filium, ſed adquiri peculio, quod patris reuera eſt.

PLacet hîc diſputationem, hoc ſeculo, inter ſummos Iuriſconſultos tantopere agitatam aſſumere, reſponſi Africani in l. Frater. D. de condict. indebiti. Quod reſponſum auſim dicere, ſermone magis hominum haberi, quàm re ipſa eſſe difficile, multíque ſunt iuris loci longè & obſcuriores, & difficiliores. In eo reſponſo tractatur de naturali obligatione, quæ inter patrem, & filium, qui eſt in patris poteſtate, contrahitur; vel inter liberos, qui ſunt in eiuſdem patris poteſtate. De qua etiam hîc tractandum eſt, quatenus præſenti diſputationi

cōuenit. Effectus naturalis obligationis hi maximè eſſe dicuntur, quòd exceptionem producat.l.Iuriſgentiū.§.ſed cū nulla. D,de pactis.l.19.fideiuſſor.§.1. D. de fideiuſſorib. quòd repetitionem indebiti ſoluti impediat.l.16. Naturales D. de obligat. & actionib. quòd ad compenſationem, & deductionem valeat. l.etiam.6.D. de compenſat.Si filius,qui eſt in poteſtate,patri pecuniam crediderit,vel pater filio,naturaliter patrem & filium obligari conſtat.Sed quiſnam ſit effectus eius obligationis,quandiu filius eſt in poteſtate, dubitatio eſt. Non poteſt valere ad exceptionem, quia nulla lis eſſe poteſt inter patrem & filium. l. lis nulla. D. de iudic. l.7. Actiones D. de obligat.& actionib. Ad impediendā verò indebiti ſoluti repetitionem, fruſtra quærimus, an naturalis obligatio proficiat: quoniam, cùm pater filio ſoluit naturale debitum; diſſoluit quidem naturalem obligationem,quà tenebatur: cæterùm pater ſibi ipſi ſoluiſſe intelligitur: & pater poteſt ſtatim, quod ſoluit, iure ſuo à filio repetere, cui etiam adimere peculium poteſt. l. 4. & 8. D. de peculio. Inde in l. quam Tuberonis. §.in peculio.eod.tit.dicitur,id quod dominus ſeruo debet,in peculium computari,ſi

fortè in domini rationem impendit, & dominus ei debitor manere voluit: quia ſi quid debeat pater filio, vel dominus ſeruo, poteſt ſtatim non debere, vt nempe conſtituerit ſe nolle debere filio; vel ſeruo, quemadmodum econtrà, ſi nuda volũtate pater, vel dominus remittat filio, vel ſeruo, quod ei filius, vel ſeruus debet, deſinit ſtatim filius, vel ſeruus debere. l. 4. §. 1. D. de peculio. Itáque totum hoc an filius, vel pater debeat, quandiu eſt in poteſtate filius, ex patris nutu, & volũtate pendet. Quandiu verò non conſtituerit ſe filio non debere, vel filium ipſi, debitor erit ipſe filij, & filius ipſius: cuius rei duo argumenta ſunt. Primum, quòd pater deducit de peculio, quod ſibi filius debet. l. 5. & §. fin. & l. 9. D. de pe culio: quod non poſſet pater deducere, niſi ei naturaliter obligatus eſſet filius. Quamobrem hunc maximè effectum habet naturalis obligatio, dum eſt in poteſtate filius, quòd ad compenſationem, & deductionem valet. Vnde in l. ſi nox ali 11. §. 1. eod. tit. dicitur, naturalia debita ſpectari in peculij deductionem. Alterũ eſt, quòd ſi pater filium emancipauerit; manere naturalem obligationem reſpondet hîc Africanus in verſic. Quæſitum, ſiue paterfil q

crediderit,ſiue filius patri.quo caſu naturalis obligatio non ſolùm ad deductionem, &compenſationem proficit,verùm etiam & alios omnes effectus ſuos habet. Valet ad exceptionem, quoniam poteſt eſſe lis inter patrem,& filium emancipatum.Repetitionem ſoluti impedit d. verſic. Quæſitum. Hæc omnia ſimili modo locum habent,ſi frater fratri,dũ vterque eſt in patris poteſtate, pecuniã crediderit. Naturaliter enim frater fratri obligatur: quæ naturalis obligatio per filiũ patri adquiritur.Nam ſi non adquireretur, non deduceret pater de peculio,quod debetur his, qui in eius poteſtate ſunt: quod eũ deducere certũ eſt.l.9. Sed ſi dãnũ.§.1.D. de peculio.l.6.ſi peculiũ. D.de peculio legato. Quinimo nec deductio huius naturalis debiti vllo modo fieret: quia frater ipſe creditor nõ deduceret: nõ enim eſt proditũ fratrẽ poſſe deducere de peculio fratris, quod ſibi debetur, ſed tantùm patrẽ. Qui putant, nõ adquiri patri, per filium, naturalem obligationem, mouentur præcipuè hoc argumento. Si naturalis obligatio, patri, per filium adquireretur, pater ipſe filio non obligaretur,cùm filius patri pecuniã credidit,quem obligari filio ſuprà diximus. Nã adquiſita

filio obligatio naturalis,qua pater ei obligatus eſt, confeſtim patri adquireretur; & ita pater ſui ipſius debitor eſſet:quod definitionibus iuris repugnat. l.11. Cum filio de legat.1. Reſpondet Cuiacius,adquiri patri quidem naturalem obligationem ipſo iure, ſed quandiu pater ea adquiſitione non vtitur, id eſt quandiu peculium manet apud filium, non intelligi adquiſitam: nam ſua ſponte pater patrimonium ſuum ſeparauit à peculio, ac veluti patrimonio filij;rationes ſuas,à rationibus filij.l.4.D.de peculio.l. per ſeruum. §.1. D. de adquir.rerum dominio. Quamobrem, dum peculium manet apud filium, intelligitur adquiſita naturalis obligatio filio, non patri. Hæc ſolutio Cuiacij, explicatione indiget. Nam nec omnino vera eſt, ſed aliqua ex parte tantùm; vt ex his, quæ breuiter de ſpecie propoſita ab Africano dixero, apparebit. In ea ſpecie conſtituendum eſt, vtrumque fratrem peculiũ profectitium habuiſſe, vtrique fratri patrem peculium conceſſiſſe.Nam, quin habuerit frater,qui pecuniam mutuam accepit, nulla dubitatio eſt, cùm de eius peculio diſputatio ſit.Eum quoque qui credidit, habuiſſe exiſtimandum eſt. Quod enim quidam exiſti-

mant, eum pecuniam patris fratri credidiſſe, ineptum eſt, quia tunc nulla eſſet diſputatio huius l. cùm nuſquam quæſita fuiſſet naturalis obligatio fratri, ſed patri tantùm l. Certi conditio: §. ſi numeros. D. ſi cert. petatur. l. ſi abſentis. C. eod. Non placet etiam, quod alij ſcripſerunt, pecuniam fratrem, qui credidit, à patre non habuiſſe, ſed aliunde. Aliunde enim habuit, aut quòd ſibi credita, aut quòd ſibi donata ab extraneo eſſet. Credi pecùniam filiofamilias ſenatuſconſultum Macedonianũ prohibet. Donari perquam rarò contingit: nec l. 9. ſed & ſi §. 1. D. ad macedon. quicquam facit, in qua etiam poponitur donatum filiofamilias, non vt crederet, ſed vt creditori ſolueret. Peculiatus igitur vterque frater fuit, & eius, qui pecuniam mutuam accepit, peculium obligatum eſt. Nam obligatio eſt onus peculij. In eius verò qui credidit peculio, nomen fratris pariter, ac aliorum debitorum nomina computantur, & peculium augent. d. l. quam Tuberonis §. in peculio. & §. fin. l. 18. ſi ſeruus in fine. D. de peculio. l. Denique. 8. §. qui ſtichum. D. de peculio legato. Si nomen fratris debitoris, fratris qui credidit peculium auget, conſequens eſt, vt ei, non patri in-

telligatur naturalis obligatio adquiſita. Nã peculiũ habet ſeparatũ à rationibus paternis & in peculio naturalis obligatio eſt. Verùm tamen ſi rei veritatem, & effectũ iuris inſpexerimus, ipſo iure adquiſita eſt naturalis obligatio patri, quoniã peculium filij profectitiũ, eſt res patris, hoc eſt, in bonis, in patrimonio patris reuera: in quaſi patrimonio filij, quãdiu patitur pater. Vnde peculium nõ patrimonium, ſed velut patrimonium filij aut ſerui eſſe dicitur in l. 39. D. de peculio, quod poteſt pater, cùm ei libuerit adimere filio, vel etiam minuere, Naturalis igitur obligatio cum effectu patris eſt; poteſt eam pater remittere filio debitori; poteſt etiam ex filij debitoris peculio deducere, & ſibi habere; poteſt quoque fratri creditori adimere peculium: quibus caſibus dubium non eſt intelligi, adquiſitam fuiſſe naturalem obligationem patri. Sed etiam ſi non adimat peculium, poteſt intelligi adquiſita, ſi eam ſibi velit pater eſſe adquiſitam. Veluti ſi minuat peculium filij creditoris pater & adimat nomen filij debitoris, quod ſibi adquiri velit, naturalis obligatio patris omnino erit. Quòd igitur reſpondet Cuiacius non intelligi adquiſitam naturalẽ obligationem

patri, quandiu pater ea adquiſitione non vtitur, probo equidem, ſed rejecta interpretatione, quam ſubijcit, id eſt quandiu peculium manet apud filium, quoniam, vt docui, poteſt pater ea adquiſitione vti, quamuis non adimat filio peculium. Si neque adimendo peculium, neque his modis, quos dixi, vſus ea adquiſitione pater fuerit, tunc intelligetur adquiſita obligatio naturalis fratri, qui pecuniam credidit peculiarem, quandiu apud eum peculium manet. Et ea ratione Africanus, vt fratrem qui pecuniam mutuam accepit, debitorem appellat, ſic & eum qui pecuniam credidit, creditorem. *Longè magis* (inquit) *in eo quod fratri debuiſſet, indemnem eſſe præſtandum.* Neque tamen propterea dicendum eſt, duas eſſe naturales obligationes, vnam quæſitam patri, alteram filio, quod poſt Accurſium quidam veteres, & recentiores exiſtimarunt; ſed vna tantùm eſt, quæ effectu adquiſita patri eſt: intelligitur autem adquiſita filio, quandiu pater non vult ſibi eam adquiri. Vt peculium dicimus eſſe patris, eſſe etiam filij, patris reuera; filij, quandiu pater patitur id eſſe apud filium: Sic de naturali obligatione dicendum eſt, eam eſſe patris, eam eſſe filij, patris reuera;

filij, quandiu pater vult eam eſſe filij. Ex quo apparet non tam adquiri naturalem obligationem patri per filium eodem poteſtatis iure, quo ciuilis adquiritur. l. placet D. de adquir. hered. quàm quòd peculio adquiratur, & peculium augeat, quod intelligitur quidem eſſe filij, reuera verò patris eſt. Atq; etiã eo modo poteſt reſponderi vulgari illi argumento, quod ita obijcitur. Si filij creditoris obligatio patri quæreretur, ſuſtineret ſimiliter obligationis onus, qua frater debitor fratri creditori obſtrictus eſt, quia ſi pater ex credito filij creditor efficitur, & ex debito quoque filij debitor fiet. Nam, non obligatur pater ex debito filij, ſed peculium filij obligatur. Sed quoniam, vt dixi, peculiũ patris reuera eſt, pater obligatur ex debito filij acceſſoriè, quatenus eſt in peculio. l. Cum filiusfamilias. 49. §. 1. D. de verb. obligat. §. actiones de actionib⁹ in inſtitut. Vnde in propoſita ſpecie, ſi frater à fratre pecuniã mutuã acceperit, obligatur fratris debitoris peculiũ, & augetur peculiũ fratris creditoris: & poteſt pater, vt dixi remittere debitũ fratri debitori, vel deducere ex ei⁹ peculio quod debetur, & ſibi habere, ſi velit acquiſita ſibi obligatione vti: aut etiam poteſt dedu-

cere ex fratris debitoris peculio, quò fratri creditori ſatisfiat, ſi noli debitum ſibi acquiſitum eſſe. Poteſt quoque, vt dixi, adimere peculium fratri creditori, vel ex eius peculio nomen fratris debitoris ſubducere: quibus caſibus naturalis obligatio, ei omnino erit adquiſita. Quandiu verò nihil eorum facit, non ei adquiſita intelligetur obligatio, ſed filio creditori; obligatus quoque non intelligetur ex filij debitoris obligatione: quoniam non ipſe, ſed peculium obligatur, vt dixi. At verò morte patris extincto peculio, vtrumque peculium reuera fuiſſe patris apparet: nam bonis paternis communicatur, & diuiditur inter filios pro portionibus hereditarijs. l. Certum. C. familiæ hercisc. & conſequenter naturalis obligatio, quæ in peculio fratris creditoris inuenitur, diuiditur inter filios, pro eiſdem portionibus, niſi fortè prælegatum peculium fuerit, vt hic docet Africanus, d. l. Certum. & l. filiæ. C. de Collationibus.

Adquiſitione hereditatis naturalem obligationem confundi.

Capvt XXIII.

Naturalem

Natura'em obligationem adquiſitione hereditatis confundi. Confuſionem fieri pro ea parte, qua ſuccedit frater debitor. Non fieri obligationis fratris creditoris. Duobus caſibus non confundi obligationem naturalem adquiſitione hereditatis.

NATVRALEM obligationem adquiſitione hereditatis confundi, rationi iuris omnino congruit. Nam ſi ciuilis confunditur, quoties creditor debitori, aut debitor creditori heres extitit. l. Granius. D. de fideiuſſor. l. 1. §. ſi debitor. D. ad l. Falcidiam. l. debitori. C. de pactis. etiam & naturalis confundetur. Et naturalem quoque confundi probat l. 95. Stichum. §. aditio. D. de ſolut. & l. 21. heres. §. quod ſi. D. de fideiuſſor. Pro ea verò parte cõfuſio fit, qua ſucceditur l. 7. Si ab eo. C. de negot. geſtis. l. 14. licet. C. ad l. Falcid. vt in propoſita ſpecie diuiditur naturalis obligatio, quæ in peculio fratris creditoris inuenta eſt, inter fratres pro portionibus hereditariis. Nam & ipſum peculium, vt dixi ſuprà, inter ipſos, pro eiſdem portionibus diuiditur. Vnde, cùm pars eius obligationis iure hereditario fratri debitori adquiratur, neceſſe eſt, vt pro ea parte confuſio obligationis fiat, ne idem ſibi ipſi debeat. Et ideo, ſi hic fra-

ter,ignorans,integrum debitum fratri ſoluerit, pro ea parte, qua patri heres extitit, repetet; quoniam naturalis obligatio,quæ pro ea parte, aditione hereditatis confuſa eſt,nō impedit eius, quod pro ea parte ſolutum eſt, repetionem. Nec moror, an filius adiuerit, an verò ſe immiſcuerit paternæ hereditati, quoniam nō minùs immixtione, quàm aditione fit confuſio obligationis, l. 87. eum bonis. §. fin. D. de adquir. hered. Sed obijcitur: Si quia filius debitor patri creditori heres extitit, confuſa obligatio debitoris eſt: etiam quia filius creditor patri debitori heres extitit, confuſa creditoris obligatio erit. At non eſſe creditoris obligationem per hereditatis adquiſitionem confuſam Africanus demonſtrat, cùm docet illam per participationem peculij extinctam. ergo ſequitur, vt etiam confuſa non ſit,pro parte filij debitoris. Huic argumento facillimum eſt reſpondere.Primùm enim pater nuſquam debitor filij creditoris fuit, obligatio naturalis ex perſona filij debitoris, ad patrem, non pertinuit: peculium filij, quod reuera in patris bonis eſt,intelligitur autem eſſe filij; quandiu ademptum non eſt, obligatum fuit, non pater. Deinde morte patris

extincto vtroque peculio, & communicato bonis paternis, deſinit intelligi adquiſita eſſe naturalis obligatio filio, qui fratri pecuniā credidit: deſinit ipſe intelligi creditor. Nam, vt dixi, naturalis obligatio eſt in peculio, quod eius fuit: ampliùs verò eius non eſt, ſed paternæ hereditati, paterníſque bonis cōmunicatum eſt. Cùm igitur, nec pater debitor, nec filius creditor ſit, non poteſt pro ea parte, qua hic filius patri ſucceſſerit, facta intelligi vllà obligationis confuſio. At pro ea parte, qua filius debitor patri heres extitit, confuſio naturalis obligationis facta eſt: quia & pater creditor, & filius debitor erat. Opponitur etiam: quòd vbi creditores ſerui, vel filij, domino vel patri heredes extiterint; & ipſi inter ſe agere poſſunt de peculio; & de peculio deducere quod ſibi debetur, ſi conueniantur. l. 9. ſed ſi damnum. §. ſed & creditor ſerui. l. 29. ſi quis ſeruum. l. 37. ſi creditor. l. 50. eo tempore. §. 1. D. de peculio. Ergo peculiaris obligatio non confunditur aditione hereditatis. Facilis ſolutio eſt: cùm creditor ſerui, vel filij, domino, vel patri ſuccedit, creditorem debitori non ſuccedere: quoniam ex contractu ſerui, vel filij, dominus, vel pater principaliter non obliga-

tur, ſed acceſſoriè tantùm de peculio, vt in ſuperiori capite dictum eſt. Vnde, quemadmodum vbi fideiuſſor creditori ſuccedit, aut creditor fideiuſſori, non confunditur obligatio principalis: ſed principalis, quæ plenior eſt, tollit fideiuſſoriam l. generaliter. l. heres. §. quòd ſi ſtipulator. D. de fideiuſſorib. ita etiam non cõfunditur hoc caſu obligatio principalis: & ideo creditor, ſi conueniatur, deducit de peculio, quemadmodum & ipſe dominus deduceret. Planè non confunditur obligatio fideiuſſoria, quoties principalis plenior non eſt: vt ſi ſit naturalis tantùm: qui eſt caſus 2. 21. heres. §. ſeruo tuo. verſic. quod ſi hic ſeruus. d. de fideiuſſor. de quo Cuiacius lib. 11. cap. 34. Obſeruat. Sed & duobus caſibus non confunditur obligatio naturalis adquiſitione hereditatis; quorum alter exprimitur in l. debitor. D. ad trebell. alter in l. 1. §. ſi debitor. ff. ad l. falcid. & l. 6. & 8. C. eod. quos quoniã alij ante accuratè tractarunt, non hîc mihi pluribus verbis repetendi videntur.

Adquiſitione peculii naturalem obligationem confundi.

CAPVT. XXIIII.

Confuſionem fieri naturalis obligationis alio modo per adquiſitionem peculij, quàm fiat adquiſitione hereditatis. Cuiacij interpretatio probata.

ADquiſitione peculij, non minùs naturalis obligatio confunditur; quam adquiſitione hereditatis. Sed alio modo confuſio fit. Adquiſitione hereditatis obligatio confunditur pro ea parte, pro qua creditor debitori, aut debitor creditori, ſucceſſit. Adquiſitione peculij; pro modo, & quantitate peculij, quæ ad creditorem peruenit: quod non obſcurè ſignificat Africanus his verbis, *Pro ea verò, qua frater heres extiterit, ita repetiturum, ſi non minùs ex peculio ſuo ad fratrem perueniſſet.* Etenim quoties filius, vel ſeruus, qui peculium habet, contrahit, obligari peculium conſtat. Nam, vt dixi in cap. 22. obligatio onus eſt peculij. Et ideo ſi mortuo patre, ad alium, quàm ad filium peculium peruenerit, onus obligationis peculium comitatur l. 27. Et ancillarum. §. fin. l. 29. ſi quis ſeruum. l. 32. ſi ex duobus. §. fin. & l. ſeq. D. de peculio. Sed non propterea filiusfamilias obligatus eſſe deſinit: cuius obligationis ea vtilitas eſt, quòd ſi nihil ſit in peculio, aut fortè non tantum, quantum debetur, de ſuo ſoluet filiusfamilias

quod debet.l.57.tam ex contractibus.D. de iudic.l.44. ſi quis cum filiofamilias. D. de peculio. Quamobrem in propoſita ſpecie, ſi diuiſo peculio inter fratres pro portionibus hereditarijs, minus ex peculio fratris debitoris ad fratrem creditorem peruenerit, quàm ei pro ea parte, qua patri heres extitit, ex debito fratris debetur; in reſiduo frater ei naturaliter obligatus remanebit: qui ideo non repetet, quod pro ea parte minus ex peculio ſuo ad fratrem peruenerit. Nam, ſi nihil ex eo peculio ad fratrem perueniſſet, nihil pro ea parte repeteret. Finge prælegatum fuiſſe peculium à patre filio debitori: nihil tunc ex ejus peculio ad fratrem peruenit: nihil igitur ab eo repetet pro ea parte, qua frater patri heres extitit. Quinimò, ſi prælegato peculio filio debitori, nihil ipſe ſoluiſſet fratri, poſſet frater deducere ex peculio, quod pro parte ſua debitum fuiſſet. Nam naturalis obligatio valet ad deductionem, & compenſationem, vt ſæpe iam dictum eſt. Et quod domino, vel patri debetur, minuit peculium ipſo iure. l. 30. Seruus D. de actionib. empti; adeo vt, nec in peculio eſſe cenſeatur, quod patri, vel domino, filius, vel ſeruus debet. l. 19. ſi noxali. §. quod autem. D,

de peculio. Vnde ſi frater ſine deductione peculium prælegatum fratri præſtitiſſet, poſſet condicere, quod non deduxit condictione indebiti, quaſi plus debito ſoluiſſet l. 39. Si quis cùm à fideicommiſſario. D. de condict. indeb. aut etiam, quia condictione indebiti rectè repetatur id quod compenſari, & deduci potuit. l. 34. qui inuicem eod. tit. Si igitur deductio, & compenſatio debiti, hoc modo à fratre ex peculio prælegato fieri poteſt: multò magis, vbi peculium prælegatum non fuerit, ſi ex eo peculio tantum perceperit, quantum ei pro parte ſua debetur, ſecum ipſe penſaſſe, & ſibi ipſi ſoluiſſe intelligetur: quemadmodum venditor ſerui, qui peculium retinuit, ſecum penſat quod ſeruo credidit ante venditionem l. quoties §. pen. D. de peculio. Et ſi minus ex eo peculio ad eũ peruenerit, concurrentis tantùm quantitatis compenſatio fiet. Hanc confuſionem debiti, quæ fit perceptione peculij, admittendam probat Africanus hoc argumento. Si filius extraneo debuiſſet, & ab eo poſt mortem patris extraneus exegiſſet, iudicio familiæ herciſcundæ recuperaret à coheredibus, quod pro rata peculij exigere ab eis extraneus potuiſſet. l. 18. his conſequenter

§. ſi filiusfamilias. famil. herciſc. & ſi nondum diuiſa eſſet hereditas, rectè poſtularet peculium ita diuidi, vt pro quantitate peculij, quę ad coheredes perueniſſet, indemnis ab illis præſtaretur. l. ſi à pluribus. 107. de legat: aut officio iudicis, peculium pro modo debiti præcipi. l. 20. ſi filia. §. ſi filius familias D. famil. herciſc. Quem igitur frater, aduerſus extraneos creditores peculiares defendere his omnibus modis tenetur, multò magis aduerſus ſeipſum indemnem præſtabit, pro quantitate peculij, quæ ad eum peruenerit. In hoc capite non diſceſſi ab opinione Cuiacij, qui mihi rectiùs, quã cæteri, videtur hoc reſponſum Africani interpretatus.

Cur poſt contractam emptionem, publicato fundo vendito, periculum venditoris ſit, non emptoris.

Capvt. XXV.

Expoſitum Africani reſponſum in l. ſi fundus. D. Locati. Reiecta interpretatio Cuiacij. Speciale eſſe in publicatione. Reiecta ratio Fulgoſij, & Suerini. Confutata Antonij Fabri. Noua ratio reddita.

ET aliud eiuſdem Africani reſponſum in l. Si fundus. D. locati. peſſi-

mè, vt arbitror, eſt interpretatus. Sic vulgarem illam, & certiſſimam iuris regulam, poſt contractam emptionem, omne periculum rei venditæ contingens, ad emptorem pertinere, quæ in infinitis iuris locis traditur, accipit, vt poſt traditionem, omnino emptoris ſit periculũ; ante traditionem verò hactenus, vt id quod intereſt non petat, pretium autem à venditore ipſi reſtituendum ſit. Quam diſtinctionem vel ſola l. fin. C. de peric. & commodo rei venditæ euertit, in qua imperatores reſcribunt, re ante traditionem perēpta, emptorem pretij ſolutionem non rectè recuſare: multò ergo magis, ſi emptor pretium venditori ſoluerit, eius repetitio non erit. Sed negotium faceſſit d. l. ſi fundus, quam non alia via conciliari poſſe veriſſimum eſt, quàm ſi dixeris, ſpeciale eſſe in publicatione. Cur in ea ſpeciale ſit, probabilis, vt opinor, adhuc ratio reddita non eſt. Ex veteribus Fulgoſius, quem quidem noui interpretes ſequuti ſunt, ſpeciale in publicatione dicebat, quòd per publicationem res non deſinit eſſe in rerũ natura, nec per hoc efficitur deterior, nec deſinit poſſe tradi: difficultatem potiùs in præſtando habet, quàm in rerum natura. Vnde, quemadmo-

dum ſi res,quæ in hoſtium poteſtate eſt, diſtracta ſit, tenetur vẽditor.l.fin.D.de actionib.empti.l.91.ſi ſeruũ. §. 1. D.de verb.obligat.ita ſi poſt venditionem fundus publicatus fuerit. Sed hactenus tamen,vt venditor pretium reſtituat, d.l.ſi fundus.Quæ ratio nulla prorſus eſt. Aliud eſt enim, rem eſſe in hoſtium poteſtate tẽpore venditionis,quo caſu ſuſtinetur venditio,donec ea res præſtari poſſit: aliud publicatum eſſe fundum poſt vẽditionem. Nam cùm hoc ſine culpa venditoris contigerit, æquum eſt non teneri venditorem. Antonius Faber lib.4.coniecturarum cap.4.eodem penè modo diſſoluit. Dicit enim, probabiliter poſſe diſtingui, an ex cauſa aliqua extrinſeca,an verò per rem ipſam venditam fiat,quominus tradi poſſit. Nam poſteriore caſu, cùm res ipſa præſtari non poſſit, quòd in rerum natura eſse deſierit, periculum emptoris erit: Priore verò, erit venditoris periculum: veluti,ſi fundus publicatus ſit, vel ſeruus furto ſubtractus. Rectè enim emptor intendere poteſt, vt ſibi res præſtetur,quæ per rerum naturam præſtari poteſt:ſed venditor liberabitur, ſi actiones ſuas cedere paratus ſit: quas ſi nullas habeat,quod contigit, ſi aut res aliena ſit,

quæ furto ſubtracta eſt, aut fundus venditus publicatus, æquiſſimum eſt ſaltem ad pretij reſtitutionem eum teneri, quòd non præſtet eam rem, quæ per rerum naturam præſtari poteſt. arg. l. Quod ſæpe. §. ſi res vendita. D. de contrahenda emptione. Verùm nec illa quoque diſtinctio probabilis eſt. Alia eſt enim ratio eius, qui alienã rem vẽdidit; alia eius qui ſuam, quæ poſtea publicata eſt. Ille enim tenetur actiones cedere emptori, ſi quas habet, re venditâ furto ſubſtractâ: quemadmodum, ſi ante traditionem apparuerit rem eſſe alienam, tenetur actione ex empto, vt rem venditam liberet. l. ſi poſt perfectam. C. de euiction. & re traditâ euictâ, tenetur de euictione. Hic autem nihil eiuſmodi præſtat, publicato fundo nõ tenetur eum redimere à Principe, ex cuius præcepto diſtractus eſt, & emptori præſtare. Neſcio an probabilius ſit, ſpeciale eſſe in publicatione, quòd per eam iniuria poſſeſſori fiat, cui modicum, honoris cauſa, dari ſolitum Vlpianus tradit in l. item ſi verberatum. §. item ſi fortè. D. de rei vendicat. & quandoque etiam totus ager reddebatur. Nam vt ſcribit Siculus Flaccus lib. de conditione agrorum: *Non omnibus perſonis victis ablati ſunt agri: quorun-*

dam dignitas, aut gratia, aut amicitia victorem nouit, vt eis concederet agros ſuos. Quod igitur ablatum fuiſſet iniuriâ poſſeſſori, vel iure belli, quo eorum qui victi ſunt, bona ad victores pertinent, id lex noluit emptori nocere, ſed venditori, ſi antequam fundus vacuus traderetur, ablatum eſſet: Vt quemadmodum aliàs iniuria facta emptori, venditori non nocet, ſi per iniuriam iudicis emptor in lite de proprietate victus ſit. l. ſi per imprudentiam. D. de euictionib. l. emptor. C. eod. ita iniuria facta, vel vis illata venditori, emptori non noceret, niſi hactenus, vt id quod intereſt venditor emptori non præſtaret. d. l. ſi fundus. Quòd ſi culpa venditoris publicatus fuerit fundus, putarem venditorem teneri in id, quod emptoris intereſt, non ſimpliciter ad prætij reſtitutionem, quia per eum factum eſt, quominus fundus venditus emptori præſtaretur.

An ſit aliqua differẽtia, inter ſcientem, & ignorantem locatorem, qui alienum prædium locauit.

Caput XXVI.

Interpretata l.9. in princip. D. Locati. Diſcrimen eſſe inter ſcientem, & ignorantem Locatorem, qui alienum prædium locauit contra Antonium Fabrum: aliud quàm quod Cuiacius conſtituit.

IN alio Africani reſponſo, non admodum diſſimili, reprehẽdit Cuiacium Antonius Faber lib. 5. coniecturarum. cap. 5. Scribit Cuiacius ad l. Et hæc diſtinctio. 35. ff. Locati, malè l. 9. in princip. eod. tit. vulgò accipi de ſciente locatore, cùm palam lex ponat locatorem eam domum, quam locauit, emiſſe bona fide: nec ponat poſtea eum tempore locationis reſciuiſſe rem eſſe alienam. Itaque conſtituit hanc differentiam inter eum qui ſciens, & eum, qui ignorans rem alienam locauit: vt ille teneatur in id omne, quod conductoris intereſt, exemplo venditoris, qui ſciens rem alienam vendidit. l. 30. Seruus. § fin. D. de actionib. empti: hic autem præſtare quidem debeat, frui licere conductori: ſed hactenus, vt exoneratio mercedis fiat: quemadmodum in ſpecie. D. l. ſi fundus. reſpondet Africanus: ſi per locatorem non ſtet, quo minùs præſtet frui licere, teneri quidem eum, vt frui liceat, ſed hactenus, vt mercedem remittat, vel reddat, non ſi quid pluris interſit. Contrà Anto-

nius Faber, nullum eſſe diſcrimen putat inter ſcientem, & ignorantem locatorem; ſed ignorantem teneri æquè, ac ſcientem, in id quod conductoris intereſt, non ſimpliciter ad exonerationem mercedis. Et quoniam vrget. d. l. Et hæc diſtinctio in his verbis, *Non de eo, qui alienũ prædium per fraudẽ locauerit* reijcit illa verba *per fraudem*, quę imperito potiùs interpreti, quàm Africano tribuit. Sed temerè legum verba immutãda non ſunt. Ego fatendum quidem exiſtimo, ignorantem locatorem teneri in id, quod conductoris intereſt, quod manifeſtè probat, l. ex conducto. §. pen. eod. tit. nec effugia interpretum quicquam valent. Et ſimiliter, quoties legimus locatorem teneri ex conducto, ſemper intelligẽdum teneri in id, quod conductoris intereſt, ex natura actionis ex conducto. Vnde cum in d. l. 9. in princip. eod. tit. Vlpianus Pomponium reſpondiſſe refert, Si quis domum bona fide emptam, vel fundum mihi locauerit, & is euictus ſit ſine dolo malo, & culpa eius: Locatorem nihilominus teneri, vt mihi præſtetur frui licere: ſic interpretandus ille locus eſt, vt teneatur locator in id, quod mea intereſt, non ſimpliciter ad exonerationem mercedis. Nec quic-

quamfacit. d. l. ſi fundus, quæ caſum ſpecialem ponit in fundo locato publicato: in quo hactenus tantùm locator tenetur, vt mercedem remittat, vel reſtituat: quemadmodum in vendito, qui publicatus eſt, venditor hactenus tenetur, vt pretium reſtituat, non vt id quod intereſt præſtet; vt dictum eſt in ſuperiori capite. Sed tamen differẽtiam conſtituendã dico inter ſcientem, & ignorãtem locatorem, quia alienũ prædiũ locauit; quæ huiuſmodi erit. Sciens locator tenetur in id omne, quod conductoris intereſt. Ignorans locator tenetur ex conducto in id, quod intereſt: ſed conuentus ea actione, abſoluitur, ſi paratus ſit aliam habitationem non minùs commodam pręſtare. d. l. 9. in princip. quę de ignorante locatore loquitur, non de ſciente. Et ſanè incommodum pateretur conductor, ſi locator exoneratione mercedis liberaretur. Quid enim ſi cariùs aliam domum cõducturus eſſet? Quid ſi habitatio non æquè commoda reperiri poſſet? Hoc damnum æquius eſt pati locatorem, quàm conductorem. Et in hoc differt locatio à venditione. Nam non abſoluitur venditor conuẽtus actione ex empto, ſi paratus ſit aliam domum non minùs commodam tradere;

ſed condemnatio fit in id, quod emptoris intereſt: quoniam in venditione id agitur, vt dominiũ rei vẽditæ in emptorem transferatur. l.cùm manu ſata.§.pen. D. de contrahenda empt.in locatione tãtùm, vt domum conductor inhabitet. Itáque facilius in hac, quàm illa receptum eſt, vt liberatio contingat, ſi locator paratus ſit aliam domum, non minùs commodam præſtare.

Cur maritus cogitur promittere ſe dotem reſtiturum alteri, quàm vxori.

CAPVT XXVII.

Data dote marito, non cogitur maritus promittere, alteri ſe dotem reſtituturum, quàm vxori. Cùm datur ei dos, cogitur promittere, ſi nullum incommodum ſuſpectum habeat. Diſtinctio in extraneo an dotem prius promittat, deinde det: an verò dotẽ nulla facta priùs promiſsione, dotis pro muliere, conſtituat.

VLpianus in l. 2. D. ſoluto matrimonio: ſcribit non cogi maritum dotem alij, quàm vxori ab initio ſtipulanti promittere, niſi hoc ei nihil noceat. Vbi obijcitur vulgare illud, nec creditorem cogi alium debitorẽ ſuſcipere, l. 45. ſi mandato. D. mãdati: nec debitorem mutare creditorẽ. l. 1. l. Nec creditores. C. de nouation. Reſpõdere ſolent

interpretes

interpretes ſpeciale eſſe in dote, vt cogatur maritus promittere, ſi nullum incommodum ſuſpectũ habeat. Quidam dicunt maritum nunquam cogi, niſi aliqua magna & iuſta cauſa ſubſit: quod & alibi locum habet; vt creditor, & debitor cogantur ex iuſta cauſa, obligationis cauſam mutare. l. Vſuras: & Authent. Hoc niſi. C. de ſolutionibus. Ego cõſiderandum arbitror Vlpianum loqui de dote nondum conſtituta, de dote antè promiſſa, quæ poſtea datur: ab initio, inquit, id eſt initio dotis dandæ. l. 7. Cùm dos. D. de pactis dotalibus. Maritus autem nondum ei data dote, ſed tantùm promiſſa, vxoris debitor non eſt. l. 1. C. de dote cauta non numerata. Poteſt igitur mulier, cùm dat marito dotem, velle, vt ipſe non ſuus, ſed alterius debitor ſit: quia poteſt, quam vult, legem rei ſuæ dicere. d. l. Cùm dos. l. Ob res. §. 1. D. de pactis dotalibus. Sed tamen, quoniam maritus, ſub promiſſione dotis, eam in vxorem duxit; non cogitur maritus alij, quàm vxori promittere, ſe, ſoluto matrimonio dotem reſtituturum, ſi incõmodum aliquod ſuſpectum habeat. Eſt igitur diſtinguendum, an dos iam data fuerit, an verò nondum ſit data, ſed quæ ante promiſſa fuerat, detur:

M

vt priore caſu indiſtinctè verum ſit, maritum non cogi alij, quàm vxori promittere, etiam ſi nullum incommodum ſuſpectum habeat: quia, cùm iam debitor mulieris factus ſit, non poteſt cogi creditorem mutare: poſteriore verò cogatur, cum nõdum ſit debitor mulieris, ſi nullum incommodum ſuſpectum habet: In extraneo diſtinguendum eſt, an dotem ſtatim pro muliere det, & conſtituat: an vero priùs promittat, deinde det. Nam ſi nulla facta priùs promiſſione dotis, dotem marito pro muliere det, poteſt eam ſtipulari ſibi reddi: quippe qui eam legem, quam velit, rei ſuæ dicere poſſit. d. l. Cùm dos. d. l. Ob res: Si ſtipulatus non fuerit ſibi reddi, vxori dos, ſoluto matrimonio, reſtituēda eſt. l. Vnic. §. accedit. C. de rei vxoriæ actione: nec cõſequenter maritus cogi poteſt alij, quàm vxori promittere. Sed ſi priùs extraneus pro muliere dotem promiſerit, deinde det, non poteſt, cùm dat, ſtipulari ſibi dotem reddi, niſi mulier conſentiat. l. ex morte in fine. C. de pactis conuentis: quoniam ex promiſſione dotis, ius adquiſitum mulieri eſt; & promittendo videtur extraneus mulieri donaſſe. D. l. vnic. §. accedit. C. de rei vxoriæ actione.

An compenſare pater videatur, qui dotem, quam à genero exegit, filiæ legat.

CAPVT XXVIII.

Expoſitio. l. Si cum dotem. §. ſi pater. D. Soluto matrim. Veterum diſtinctio reiecta an debitor quis ſit ex cauſa voluntaria, an verò ex neceſſaria. Diſtinctio ſimiliter Cuiacij & diſtinctio Roberti, atque interpretatio Antonij Fabri. Noua prolata interpretatio eius. §. non immutato eius contextu.

NEc pater, filia abſente; nec filia, abſente patre, vtiliter de dote experitur, priuſquā ſatisdationem de rato præſtiterit. l. ſi cùm dotem. §. ſi pater &c. §. ſi patri. D. ſoluto matrim. l. filiusfamilias. §. ſed ſi filia. D. de procurat. qua ſatisdatione omiſſa, ſi pater de dote egerit; & dotem à marito exegerit; maritus non liberatur; nec conſumpta eſt de dote actio, mulieri competens, quæ patri ſuo non conſenſit. D. §. ſi pater & l. 34. Titia. §. qui inuita. de legat. 2. Mulier igitur agere poterit de dote aduerſus maritum: & maritus repetet dotem à patre, quam indebitè ei ſoluit. l. 34. qui hominem. §. ſi gener. D. de ſolution. Excipit Vlpianus in D. §. ſi pater niſi heres patri mulier extiterit,

vel tantum in legato acceperit, quantum erat in dote: tunc enim inuicem compenſatio fiet. quòd ſi minus, vel amplius ſit in legato, quàm in dote; res ſic explicabitur: vt, ſi amplius in dote ſit, petitione dotis filia contenta ſit: ſin verò amplius ſit in legato, compenſatio fiat vſque ad eam ſummam, quæ concurrit; & id quod amplius eſt ex teſtamento mulier conſequatur: vtrumque verò, & dotem, & legatum mulier non conſequetur, quòd non ſit veriſſimile, patrem duplici prǽſtatione heredem ſuum onerare voluiſſe. D.l. Titia. §. qui inuita. l. 77. Cùm pater. §. qui dotale. de legat. 2. l. 84. huiuſmodi. §. cùm pater de legat. 1. l. dotale. §. fin. D. de fundo dotali. Sed obijcitur, quoties debitor creditori legat, non intelligi reliquiſſe animo compenſandi. l. 85. Creditorem de legat. 2. Hoc argumentum vt diluant veteres interpretes, ſic diſtingunt. Aut debitor quis eſt ex cauſa voluntaria, veluti ex contractu, aut quaſi ex contractu; & is non videtur legatum reliquiſſe animo compenſandi. D. l. Creditorem: Aut ex cauſa minimè voluntaria, ſed cui neceſſitatem lex adijcit, vt pater non ſponte obligatur, ſed legibus cogitur dotare filiam. l. fin. C. de dotis promiſſione: &

is in dubio intelligitur, animo compenſandi legatũ reliquiſſe. Verùm hæc diſtinctio improbanda eſt. Nam pater, qui tenetur dotare filiam, ſi pro filia dotem promiſerit, & poſtea ei legatum reliquerit, non intelligitur animò compenſandi legaſſe. l. ſi pater. D. de collat. dotis: niſi eandem ipſam quantitatem, quam pro dote promiſerat, vel eaſdem ipſas res legauerit. l. 84. huiuſmodi. §. cùm pater de legat. 1. l. 29. Cùm pater. D. de iure dotium. vbi adhuc voluntatis fore quæſtionem Vlpianus reſpondet. Nec refert, quòd legatum imputetur in legitimã, quemadmodum & dos imputatur. l. quoniã nouella. l. Omni modo. C. de inofficioſo teſtamento. l. etiam. §. ſi debita. D. de bonis libertorum: non enim inde ſequitur legatum imputari in dotem. Cuiacius cap. 16. lib. 3. Obſeruat. aliter diſtinguit. Putat enim legatum relictum intelligi animo compenſandi, ſi pater filiæ dotis nomine legauerit. D. l. Titia. §. qui inuita: quòd ſi non adiececerit pater, ſe dotis nomine legare, vtrumque filiam cõſequuturam: ſicut de dote à patre pro filia promiſſa, & filiæ relicto legato traditum eſt in D. l. ſi pater de collatione dotis. Sed repugnat quod Vlpianus in D. §. ſi pater, ſcribit:

Iulianum pluribus locis ſcripſiſſe, cōpenſandum eſſe filio in dotem, quod à patre datur: nec diſtinguit, an dotis nomine, an verò ſimpliciter filiæ legatum fuerit. Et alia ratio eſt, cùm dos promiſſa eſt genero, alia, cùm ſoluto matrimonio gener eam filiæ debet: quia priore caſu dos nondum abſceſſit bonis patris, nec adhuc filiæ facta eſt: nec tam debetur filiæ, quàm genero cui promiſſa eſt; qui, poſtquam tradita ſibi dos fuerit, dominus dotis efficietur. Quamobrem non videtur pater, qui filiæ legauit, animo compēſandi legaſſe. Poſteriore autem, dos, & filiæ eſt, & patris. l. 2. §. quod ſi in patris. D. ſoluto matrimonio. Hanc non tantùm patri, ſed etiam filię maritus debet. ſi patri eam ſoluerit; non deſinit eam filiæ debere: quia non debuit ſine voluntate filiæ, patri ſoluere. l. 2. C. eod. pater verò ipſe, cui dotem maritus ſoluit, intelligitur etiam quodammodo debere eam filiæ; quia maritus cōuentus à filia, dotem à patre repetet. Vnde ſi pater filiæ legauerit, intelligitur animo compenſandi hoc dotis debitum, filiæ legaſſe. Robertus cap. 16. lib. 11. Animaduerſionum diſtinguit, an pater inuita, & contradicente filia de dote egerit; an verò abſente, & ignorante. Si inuita, &

cõtradicente; niſi nominatim dotis nomine ſe legare expreſſerit, vel id ab eo actum, & cogitatum, ex ipſa legati conceptione appareat; non intelligitur à patre relictum animo compenſandi,ſed vtrumque filia cõſequitur. At,ſi abſente, & ignorante,reliquiſſe animo compenſandi præſumitur. Rationem diuerſi iuris hanc reddit: quòd vbi pater,inuita,& contradicente filia agit; nullum habeat iuſtum prætextum accedentis filiæ voluntatis; vt potè quæ expreſsè ei contradicat: habet verò,cùm filia abſente agit: quaſi enim ſpe acceſſuræ filiæ voluntatis agit.nam,etſi ea non accedat, dotem ſolus exigere poteſt. d. l. ſi cùm dotem. §. eo autem tempore: & l. 37. Dotem. D. eod. Quoniam igitur cõtra expreſſam filiæ voluntatem pervicaciter non agit; ſi dotem exegerit, & filiæ legatum reliquerit,duplici præſtatione dotis,heres eius onerãdus non eſt. Sed hæc quoque diſtinctio minùs conuenit, quia Modeſtinus in d. §. qui inuita,nõ in eo vim facit, quòd patri expreſsè filia contradixerit, ſed in eo, quòd patri non conſenſerit, vt rectè admonuit Antonius Faber. lib. 4. coniecturarum cap. 9. Deinde, non magis vtiliter agit pater,filia abſente, ſi omiſſa de

rato ſatisdatione agat, quàm cùm filia inuita, & contradicente agit. d. l. 2. §. voluntatem, & d. §. ſi pater. Idem Antonius Faber eodem loco, aliter hanc quæſtionem ſoluit. Dicit enim, Vlpianum in d. §. ſi pater de illo duntaxat quærere: an, ſi filia patri heres extiterit, aut ab eo tantum in legato acceperit, quantum dotis nomine ſatis eſſet, aduerſus maritum, qui ea abſente patri dotem ſoluit, agere de dote poſſit. Modeſtinum autem in d. §. qui inuita. loqui, quãdo filia nihil dũ à patre accepit, & quærere, non an contra maritum actio ei danda ſit, ſed quantum à fratre herede conſequi debeat. Inter quos caſus multùm intereſſe dicit: quia, cùm patri filia heres extitit, aut ab eo tantum accepit, quantum dotis nomine ſatis eſſet, patris factum approbare videtur, nec amplius dicere poteſt factam eſſe à patre ſuo conditionem ſuam deteriorem. Nam quod patri ſolutum eſt, videtur ad filiam perueniſſe. l. 3. eod. tit. At, cùm nihil filia à patre accepit, & priuſquam agnoſcat legatum, aduerſus maritum agere vult, ſiue dotis nomine, ſiue ſimpliciter legatum relictum fuerit, aduerſus maritum agere filia poterit, cùm patri ſuo dotem repetenti non conſenſerit, vt Mo-

deſtinus ait. Sed, ſi aduerſus maritum egerit, legatum non petet, niſi quatenus dotis quantitatem excedit, aut, niſi ſimpliciter legatum ſit, nō adiecto dotis nomine: quo caſu dotem à marito conſequetur, & legatum à patris herede, nulla facta compenſatione. Quod itaque Vlpianus ſcribit in d. §. ſi pater compenſandum eſſe, ſic intelligit, vt compenſatio obijciatur, non ab herede patris, ſed à marito: tum, quia eum quoque caſum tractat, ſi filia patri heres extiterit: tum etiam, quòd aduerſus patrem, qui dotem exegit, aut eius heredem, filia nullam actionem habeat, ſed aduerſus maritum, qui poſtea dotem ab herede patris cōdicet. d. l. qui hominem. §. ſi gener. D. de ſolut. Illa Antonij Fabri hos locos conciliandi ratio peior eſt cæteris. Aut enim legatum relictum eſt à patre, animo compenſandi dotis debitum, aut non eſt relictū eo animo. Priore caſu, filia, quæ legatum acceperit, agere non poterit aduerſus maritum, etiam ſi minus ſit in legatò, quàm in dote, ſi modò pater iuſſerit eam eſſe legato contentam. arg. l. Cùm ab vno de legat. 2. ſi non id iuſſerit, fiet compenſatio vſque ad concurrentem quantitatem dotis, & legati. Poſteriore verò, legatum

acceptando , non propterea patris ſa-ctum eam approbaſſe certum eſt. Nam, & ſi pater expreſſiſſet ſe non animo compenſandi legatum relinquere, legatum accipiendo, ſibi non preiudicaret filia, quin dotem à marito petere poſſet. Quæſtio igitur in eo conſiſtit, an ſimpliciter legando, videatur pater animo compenſandi legatum relinquere. Non magis animo compēſandi reliquit, ſi filia acceperit legatum, antequam cum marito experiretur, quàm, ſi priùs filia cum marito agere velit, quàm ab herede patris legatum petat. Aut, ſi obijcit cōpenſationem maritus, quia legatum accipiēdo, patris factum filia approbauit: cur non etiam heres obijciet, ſi, quia filia aduerſus maritum egit, heres patris à marito conueniatur? Nam & tunc quoque verum erit, filiam approbare factum patris quæ legatum ab herede petit. Quid autem illud eſt, maritum obijcere compenſationem filiæ, cui nihil filia debet, ſi modò proponamus filiam patri heredem non extitiſſe, ſed tantùm legatum accepiſſe? Denique, an poteſt in eo. §. actum intelligi de compenſatione, quam maritus obijciat, cùm apertè Vlpianus dicat, denegandam eſſe actionem filiæ aduerſus maritum, ſiue

filia patri heres extiterit, ſiue tantum in legato acceperit, quantum dotis nomine ſatis eſſet? Vtrùm putauit neceſſe eſſe ab eo compenſationem obijci, aduerſus quem denegandam dicit actionem? Hæc igitur verba. d. §. ſi pater. *Et ita Iulianus pluribus locis ſcribit, compenſandum ei in dotem, quod à patre datur*, intelligenda ſunt, non vt maritus obijciat cōpenſationem, ſed vt teneatur filia legatum compenſare cum dote, quaſi animo compenſandi legatum relictum ſit, quanuis ſimpliciter legatum fuerit, non dotis nomine. Et hoc veriſſimum eſſe iuris rationibus manifeſtum facio. Siue filia abſens ſit, & omittat pater de rato ſatisdationem, ſiue præſens, & contradicat patri de dote agenti, ita demum non rectè pater de dote agit, ſi filia iuſtam cauſam contradicendi habeat. l. 37. Dotem D. ſoluto matrimonio. Vnde, ſi conſtet nullam habere filiam, iuſtam cōtradicendi cauſam vt quia pater homo frugi eſt, & integræ vitæ, non eſt denegāda actio patri. d. l. ſi cùm dotem. §. eo autem tempore: nec ſuperflua ipſe quoque cautione de rato onerandus eſt. arg. l. hæc ſtipulatio. §. diuus. D. Vt legatorum nomine caueatur. Sed quia ſæpe dubium eſt, an filia iuſtam habeat con-

tradicendi cauſam, conſultius eſt, vt pater filiæ voluntate agat, & abſente filia, de rato caueat; alioquin non videbitur ex voluntate filiæ dotem exegiſſe. Dum igitur incertum eſt, an filia iuſtam habuerit cauſam contradicendi, pater, qui abſente filia, omiſſa cautione de rato, dotem exegit à marito, poteſt exiſtimare ſe efficaciter inſtituiſſe aduerſus generum de dote actionem quia putat filiam, nullam potuiſſe habere iuſtã contradicendi cauſam. Quamobrem Modeſtinus in d. §. qui inuita reſpondet. Si patri, inuita filia, dos ſoluta fuerit, & pater poſtea filiæ dotis nomine legauerit; compenſationem dotis, & legati admittẽdam: quod veriſſimile non ſit, patrem duplici præſtatione dotis heredem ſuum onerare voluiſſe, *præſertim*, (inquit) *cùm putauerit ſe efficaciter, licet non conſentiente filia, inſtituiſſe aduerſus generum de dote actionem*. Et hac quoque ratione exiſtimo, vbi pater non dotis nomine, ſed ſimpliciter filiæ legauerit, admittendam eſſe eandem cõpenſationem, vt Iulianum ſcripſiſſe Vlpianus refert: quia & hîc quoque, cùm pater exiſtimauerit, ſe rectè inſtituiſſe, aduerſus generum, de dote actionem, non eſt veriſſimile, eum duplici præſtatione heredem ſuum onerare vo-

luiſſe. arg. l. pen. D. de dote prælegata, & l. Lucius. 22. de legat. 2. Confirmat hanc interpretationē, quòd Vlpianus in d. §. ſi pater iungit ſimul illos caſus; quādo filia à patre hęres inſtituta fuerit, & quando ei pater legauit: vt vtroque caſu cōpenſetur cum dote, id quod filia acceperit. At, quando hæres inſtituta eſt filia, nulla poteſt alia efficax ratio reddi, cur cōpenſatio fiat, quàm, quòd hæres, animo compenſandi, inſtituta intelligatur. Illa enim, quòd repellenda ſit filia, agens aduerſus maritum, exceptione. l. vindicantem. D. de euictionib. locum quidem habet, ſi ſola filia hæres inſtituta fuerit, non, ſi pro parte: quia tunc, non niſi pro parte repelli poteſt. Et tamen, ſi filiâ, pro parte, herede inſtitutâ, pars illa, quantumvis minima, dotem æquet, compenſationem fieri vno ore approbant interpretes. Ergo, ſi herede filia inſtitutâ, fit cōpenſatio concurrentis quantitatis; quod filia, animo compenſandi, heres inſtituta videatur: etiam & compenſatio fiet, cùm filiæ legatum eſt, quaſi animo compenſandi legatum fuerit. Duo obijciuntur adhuc l. 1. §. ſciendum. C. de rei vxoriæ act. & l. 14. pater. ff. D. ad l. falcid. priori rectè reſpōdet Cuiacius ſuprà allegato loco ob-

ſeruationū. Altera verò lex loquitur, quādo pater deceſſit, dote nondū exacta à marito. Poſtrema verba. §. ſi pater immutat Cuiacius, ſed non fuit, cur immutaret. Lucratur enim filia propter cōmodū repræſentationis l. 1. D. de dote prælegata. Nam legatum nanciſcitur ſtatim; dotem, non niſi annua, bima, trima die. l. 3. §. ſi rem de legat. 3. & hodie poſt annum. vnde vtile legatum dotis eſſe dicitur in l. Cùm pater D. de iure dotium: quæ loquitur quidem in dote à patre promiſſa, ſed & idem eſt in ea, quam pater marito tradiderit, poſtquam eſt reuerſa in patris ſubſtātiam, cùm & hîc vtilitas ſubſit in legato.

Re hereditaria, hereditario ſeruo pignori data, poſſeſsionem amitti.

CAPVT XXIX.

Precarij rogatione poſſeſsionem amitti: Amitti etiam pignoris datione.

VLianus in l. 16. Qui à ſeruo D. de obligat. & actionibus, propoſita ſpecie, in qua is, qui bona fide poſſidebat rem hereditariam, eam pignori dedit ſeruo heredita-

rio: & poſtea eam rem precariò ab eo accepit, reſpondet, precarij rogatione, & acceptione, deſiiſſe eum poſſidere, & interruptam vſucapionem eſſe. Quoniam deſiit ex priore cauſa poſſidere, & cœpit poſſidere precariò. l. fin. D. de precario. Quid ſi etiam, quod non abhorret à veterum iuris auctorũ mente, ad Iulianum addiderimus, & deſiiſſe eam poſſidere pignoris datione? Nam obligatio pignoris non minùs adquiritur hereditati, per ſeruum hereditarium ex cauſa peculari, quàm obligatio depoſiti, vel commodati, quam adquiri conſtat, d. l. qui à ſeruo. l. 1. §. item ſi ſeruus D. depoſiti. l. Cùm hereditas C. eod. Vnde, quemadmodum ſi res pignori data ſit domino, interrumpitur vſucapio, quoniam pignus rei ſuæ non conſiſtit. l. non ſolum. §. ſi rem tuam D. de vſurpat. & vſucap. ita etiam interrumpitur, ſi res hereditaria ex cauſa peculiari, hereditario ſeruo pignori data fuerit. Nec inſpiciendum eſt, quòd ſeruus hereditarius, dominus non ſit rei hereditariæ, nam ipſa hereditas domina eſt, cui per ſeruum hereditarium obligatio adquiritur. Et verò amittitur poſſeſſio precarij rogatione, & acceptione: non, quòd debitor precariò roga-

uerit; nam precariò rogando, & accipiendo, non propterea deſinit debitor poſſidere, & vſucapere. l. qui pignoris. D. de adquir. poſſeſſ. ſed, quia ſeruum hereditarium precariò rogauit, & precariò ab eo accepit, per quem adquiritur ipſi hereditati, quæ domina eſt. Quemadmodum receptum eſt, vt ſi is qui poſſidet, precariò dominum rogauerit, deſinat poſſidere, & vſucapere. l. qui cùm pro herede D. pro emptore. l. interdùm. D. de adquir. poſſeſſ. ita etiam qui rem hereditariam, à ſeruo hereditario precariò acceperit, deſinet ex priore cauſa poſſidere, & vſucapere: quaſi qui à ſeruo hereditario precariò acceperit, perinde habeatur, ac ſi à domino accepiſſet: quia hereditas domina eſt, cui per ſeruum hereditarium obligatio adquiritur.

De concurrentibus actionibus.

Capvt XXX.

Regula iuris poſita in l. 43. Nemo. §. quoties D. de regul. iuris in actionibus ex contractu nihil aut parùm difficultatis habere dicitur in actionibus ex delicto poſitis tribus caſibus illuſtratur. Noua interpretatio l. Plura D. de obligat. & actionib. Quæ differentia ſit,

ſit, an plures actiones ex contractu concurrant, & plures ex delicto. Regulam l. Nunquam, de reg. iuris, & l. pen. D. de obligat. & actionibus, habere locum in omnibus actionibus, non tantùm in pœnalibus, contra Cuiacium, oſtenditur.

REgula iuris proponitur in l. 43. Nemo. §. quoties D. de regulis iuris, quæ generalis eſt ad omnes actiones, tam ex contractu, quàm ex delicto deſcendentes. Sed in actionibus ex cõtractu minùs difficultatis habet. Dicimus enim electionem actionis actori competere: quia plures actiones ideo competunt; vt laxior, ac liberior agendi facultas ſuppetat. l. 76. Cùm filius. §. varijs, de legat. 2. l. 108. ſi ſeruus legatus. §. cùm homo, de legat. 1. vnâ verò electâ, alteram tolli; alteram, alteram cõſumere, l. 38. Pro ſocio. §. 1. D. pro ſocio. l. quod in herede. §. eligere. D. de tributoria act. niſi fortè actor agere velit in id, quod plus eſt in vna actione quàm in altera. l. 43. ſi actum. D. pro ſocio. l. prædia. D. de actionibus empti. In actionibus ex delicto cõtrouerſiam patitur, quæ poſitis tribus caſibus, & diſtinctis actionibus quæ concurrunt, determinanda eſt. Primus caſus eſt, quando in vna, eademq́ue re plura delicta admiſſa ſunt

veluti, ſi quis ſeruum ſubripuerit, & occiderit: ancillam ſubripuerit, & flagellauerit: & ſimilia alia exempla, quæ paſſim occurrunt. l. 2. D. de priuatis delictis. l. 27. ſi ſeruus ſeruum, in princip. l. 32. Illud. §. fin. D. ad. l. Aquiliam. l. 1. §. in tutela, & l. 2. D. de tutelis & rationib. diſtrahendis. §. fin. ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur. tunc obtinet, vt cùm ex ſingulis factis ſingulæ obligationes naſcantur, & ſingulis etiam ſingulæ actiones, & pœnæ debeantur. l. in ſenatus. §. 1. D. ad Turpil. quia nullum delictum impunitũ remanere debet; actionum pœnalium altera, alteram non tollat, ſed ex ſingulis actionibus actor ſolidum conſequatur, l. 2. D. de priuatis delictis. l. 56. Interdum. D. de furtis. Secundus caſus eſt, quãdo in vna, eademq́ue re vnum delictum admiſſum eſt, ſed ſunt ex eo delicto plures actiones: quem caſum à priore diſtinguit Vlpianus in d. l. 1. §. in tutela. his verbis: *Nec enim eadem eſt obligatio furti, ac tutelæ: vt quis dicat plures eſſe actiones eiuſdem facti, ſed plures obligationes.* Veluti, ſi quis arbores furtim ceciderit, vnum ſolum delictum eſt, ex quo plures ſunt actiones; actio damni iniuriâ dati, ex lege Aquilia; interdictum, quod vi, aut clam: ſi

colonus ſit qui arbores ſucciderit, actio ex locato. l. 25. ſi merces. §. culpæ. D. locati. l. 28. in duobus. §. Colonus. D. de iureiur. l. 1. l. ſi colonus. §. fin. D. arborum furtim cæſarum. Eſt etiam vetus actio de arboribus ſucciſis, in duplum, ex 12. tabulis. l. 7. §. fin. cum. l. ſeq. eodem. Similiter, ſi quid publicanus non iure abſtulerit, vnum delictum eſt, ſed ſunt plures actiones: tenetur enim edicto de publicanis in duplum, & actione furti, vel bonorum raptorum. l. 1. §. diximus. D. de publicanis. Et ſi quis rem alienam rapuerit, vnum delictum eſt, ſed ſunt plures actiones, furti, & vi bonorum raptorum. Hoc caſu reſpondet Hermogenianus in l. 32. Cùm ex vno D. de obligat. & act. obtinuiſſe poſt magnas varietates, vt liceret omnibus experiri: quod ita ſolet accipi, vt omnibus quidem experiri permittatur ipſo iure, ſed per exceptionem, & iudicem excludantur cęteræ actiones, ſi iam ex vna conſequutus actor fuerit, quod ſua intereſt, & pœnam: nec plus ſit in alijs actionibus, quam in ea, qua egit. l. 34. qui ſeruum, eod. tit. Tertius caſus eſt, quando vnum factum eſt, plura verò delicta: quod nonnunquam accidit: veluti, ſi quis virginem immaturam con-

ſtuprauerit: duo delicta committit, ſtuprum committit, & damnum iniuriâ dat. l. 25. ſi ſtuprum. D. de iniurijs. l. 6. inter liberas. D. ad legem Iul. de adult. Si quoque alienum ſeruum quis iniurioſè verberet, duo ſunt delicta, vnum factum: duo delicta, damnum, & iniuria: damnum, quia deteriorem aut viliorem fecit. l. 13. Non ſolum. D. de rei vendicat. iniuria, quia cõtumelia affecit. l. 5. §. iniuriam, D. ad l. Aquil. d. l. qui ſeruum de obligat. & actionib. Hoc tertio caſu loqui Modeſtinum in l. plura. 53. eod. tit. veriſſimum eſt. *Plura delicta*, (inquit) *in vna re*; id eſt in vno facto, vt rectè exponit ibi Accurſius. Et videtur Modeſtinus ſubodorari differentiam, quæ eſt, quando plura delicta in vna re admiſſa ſunt, id eſt in eodem corpore: ſic accipitur in l. Nunquam. 130. D. de regulis iuris: quod Vlpianus dicit in l. penult. D. de obligat. & actionibus in eadem pecunia: & quæ eſt, quando plura delicta in vno facto admiſſa ſunt. Videbatur, quòd quemadmodum, vbi plura delicta ſunt, & plura facta in vna re, omnibus actionibus agi permittitur, vt ſingulis ſolidum conſequamur: ita etiam permittendum fuiſſe, vbi plura ſunt delicta, & vnum factum:

cuius contrarium reſpondet Modeſtinus. *Plura* (inquit) *delicta in vna re, plures admittunt; actiones ſed non poſſe omnibus vti probatum eſt*; id eſt, non quemadmodum vbi plura ſunt delicta, & facta, omnibus actionibus ſolidum conſequimur, ita vbi plura delicta, & vnum factum: Sed hîc tantùm vnâ, non omnibus ſolidum conſequi licet. Vtitur autem Modeſtinus cōparatione plurium actionum, quæ oriuntur ex vna obligatione ex contractu, vel quaſi: *Nam*, (inquit) *ſi ex vna obligatione plures actiones naſcantur, vnâ tantummodo non omnibus vtendum eſt.* Ergo etiam hoc caſu, cùm non ex pluribus, ſed ex vno tantùm facto, plures actiones naſcantur; non omnibus, ſed vnâ tantùm experiri licebit. Sed obſtat D. l. Cùm ex vno, quæ omnibus experiri permittit. Quæ lex loquitur quidē, quādo vnū tantùm delictū eſt, & vnū factū: Sed longè maior æquitatis ratio ſubeſt, vt permittatur omnibus actionibus vti, quando plura delicta ſunt, quàm vbi vnū ſolum eſt delictum. Itaque inter hos duos poſteriores caſus, nulla differentia conſtituenda eſt. Cōſtituenda eſt inter illos, & priorem, hoc modo. Vbi ſunt plura facta, & plura delicta, omnibus actionibus experiri licet, vt

ſingulis ſolidum conſequamur. Vbi verò vnum factum eſt, & vnum delictum, vel vnum factum, & plura delicta, non omnibus ſimul competentibus actionibus agere permittitur, vt ſingulis ſolidam pœnam conſequamur, ſed tantùm, vt id conſequamur, quod plus fuerit in vna actione quàm in alia. Conſtituenda quoque eſt inter obligationes ex contractu, & obligationes ex delicto. Nam, vbi ex vna obligatione ex contractu, vel quaſi, plures actiones competunt, non omnibus ſimul experiri poſſumus, ſed electio datur actionis: vnâ verò electâ, non licet ad aliam tranſire. l. quod in herede. §. eligere D. de tribut. actione: niſi, vt Vlpianus tradit, in l. 1. §. quia autem. D. quod legatorum cùm incertũ eſſet, quæ potiùs actio competeret, duas dictauerimus actiones proteſtati ex altera nos velle conſequi, quod nos contingit: aut etiam, niſi per errorem malè priori iudicio actũ fuerit: tunc enim non ſolùm licebit aliam actionem inſtituere; verùm etiam & eadem actio, quæ ipſo iure conſumpta eſt, ex bono & æquo reſtituetur. l. quæſitum D. quando de peculio actio annalis eſt. l. 4. §. fin. D. quod cum eo. l. habebat D. de inſtitoria actio-

ne: & l. qui cum herede D. de obligat. & actionib. At verò quando plures actiones ex vno facto, vel delicto competunt; non electio actionis datur, ſed omnibus actionibus agere permittitur, D. l. Cùm ex vno: verùm per iudicem inhibetur perſecutio, niſi quatenus plus fuerit in vna actione, quàm in alia d. l. qui ſeruum. Atque ita effectu idem planè obtinere videtur, vbi plures actiones ex vna obligatione ex cõtractu naſcuntur; & vbi plures naſcuntur ex vno facto, vel delicto: quoniam vtroq; caſu, non conſequimur, niſi id, quod plus fuerit in vna actione, quàm in alia: ad quod magis reſpexit Modeſtinus in d. l. Plura, quã ad illã differentiã, quam retuli. Non eſt tamẽ omnino ſine effectu illa differentia. Nã vbi plures actiones ex vno contractu conpetunt, ſi quis non deceptus, nec per errorem vnâ malè egerit, ad aliam ei tranſitus non eſt. d. l. quod in herede. §. eligere. At vero vbi plures ex vno delicto dantur; Si vnâ malè actum fuerit, aliâ experiri licet: quoniam etiam omnibus ſimul agere permittitur. Commune eſt igitur tam in actionibus ex contractu, quàm in actionibus ex delicto deſcendentibus; vt ſi plures actiones eiuſdem rei nomine cõpe-

tant,altera, alteram tollat; altera, alteram conſumat, vel ipſo iure, vel per exceptionem,d. l. qui ſeruũ. 34.§.1. D. de obligat.& actionib. ipſo iure, ſi priùs actum fuerit iudicio ſtricto, deinde agatur iudicio bonæfidei, quia iudicis bonæfidei exceptiones doli inſunt, l. 84. huiuſmodi,§. qui ſeruum de legat. 1. l. 21. ſed & ſi ideo in fine D. ſoluto matrimonio: per exceptionem, ſi priùs actum fuerit iudicio bonæ fidei; deinde agatur ſtricto, quia exceptiones doli non inſunt iudicijs ſtrictis, ſed neceſſe eſt eas opponi. l. 14. Item ſi cum §. eum qui D. de eo quod metus cauſa. Et hoc, vt dixi, quatenus nõ plus eſt in vna actione, quàm in alia: nam in id, quod amplius eſt, altera actio, alterã non conſumit. Quamobrem Cuiacius cap. 24. lib. 8. Obſeruat.& in prælectionibus ad titulum de regul. iuris exiſtimat regulam l. 130. Nunquam D. de regul. iuris, & l. penult. D. de obligat. & actionib. habere locũ in pœnalibus actionibus, quæ deſcendunt ex pluribus factis, non ſi ex vno facto plures ſint actiones pœnales: quoniam in illis, ſingulis actionibus actor ſolidum conſequitur: in his autem, ſi vnâ actione ſolidum habuerimus, aliâ ampliùs experiri non licet. Ergo in illis locum habet regula. *Nunquam actio-*

nes præſertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam conſumit: in his autem habere non poteſt; quoniam altera actio, alteram conſumit. Et pœnales actiones accipit, non tantùm merè pœnales, ſed etiam mixtas. Sed vereor, ne hæc opinio protinus explodenda ſit: quam vt commodiùs refellamus, paulò altiùs res repetenda eſt, facta diſtinctione actionum, quæ inuicem concurrunt. Si duæ actiones rei perſecutoriæ inuicem concurrant, certum eſt, alteram alteram tollere; niſi, ſi quid plus in vna ſit, quàm in alia: vt, ſi condictio furtiua cum actione commodati concurrat d. l. qui ſeruum 34. §. 1. de obligat. & actionib. Si rei perſecutoria concurrat cum mixta, conuenit etiam, ſi prius actione mixta actum ſit, tolli rei perſecutoriam: nam, qui egit actione mixtâ, rem eſt conſequutus: ſin autem actum priùs fuerit rei perſecutoriâ tollitur mixta quatenus rem continet, quam actor rei perſecutoriâ eſt conſequutus, & in id, quod ſupereſt, áctio mixta remanet, l. Vnde quæritur, D. commodati, d. l. qui ſeruum. §. fin. qui §. legendus eſt dempta bina negatione, vt cum Cuiacius legit, Itaque actio mixta rei perſecutoriam conſumit, non conſumit rei per-

ſecutoria omnino mixtam. Si rei perſecutoria cõcurrat cum pœnali, neutra alterã tollit, vt condictio furtiua non tollit actionem furti, l. ſi pro fure §. 1. D. de condict. furt. actio furti non tollit actionem depoſiti. l. 28. ſi ſacculum. D. depoſiti. neque locati. l. 42. ſi locatum, D. locati. d. l. 34. qui ſeruum. §. hinc de colono. neque pro ſocio l. 45. rei communis, D. pro ſocio: quoniam aliud rei perſecutoriâ perſequimur, nempe rem; aliud actione pœnali, ſcilicet pœnam. Si mixta cum pœnali concurrat, mixta, non tollit poenalem, in eo, quod amplius in pœnali eſt, nec viciſſim pœnalis, mixtam: vt ecce, qui rem alienam rapuit, duabus actionibus tenetur, furti nec manifeſti, in duplum, vi bonorum raptorum, in quadruplum. Actio vi bonorum raptorum, mixta eſt, quia in quadruplo ſimplum ineſt: actio furti, pœnalis, quæ non comprehendit rem furtiuam. Si actum fuerit vi bonorum raptorum, agi non poterit furti: quia, cùm minus ſit in actione furti, quàm in actione vi bonorum raptorũ, actio vi bonorũ raptorũ illam cõſumit. Non idem eſt, ſi prius actum ſit furti: ſupereſt adhuc actio vi bonorum raptorum in duplum, re ipſa in duplo compu-

tata l. 1. D. vi bonorum raptorum & l. 88. ſi quis egerit D. de furtis. Nec aliud obtinet, vbi duæ actiones pœnales inuicem concurrunt l. quoties 41. D. de obligat & actionib. vbi rectè Cuiacius pro (id) legit (nihil). Sed in d. l. quoties dicit Vlpianus *ex eodem facto*. Aliud eſt igitur, vbi ex diuerſis factis plures actiones competunt: quod veriſſimum eſt, ſi actiones pœnales ſint; quoniam nunquam plura delicta concurrentia faciunt, vt vllius impunitas detur l. 2. D. de priuat. delictis. Si non ſint pœnales, ſed rei perſecutoriæ, vel mixtæ, rei perſecutoria mixtā conſumit, quatenus rei perſecutoriâ rē eſt actor conſequutus, d. l. 2. §. quæſitū vbi condictio furtiua non cōſumit l. Aquiliæ actionem vbi plura delicta ſunt: Sed hæc, illam conſumit, ſi priùs inſtituta ſit. Et idem puto, ſi ſint duæ actiones mixtæ, quæ, ex diuerſis factis in eadem re admiſſis, competant, veluti, ſi vt proponitur in d. l. 2. aliquis hominem rapuerit, & occiderit: nam & vi bonorum raptorum, & Aquilia tenetur: quæ ambæ actiones mixtæ ſunt: harum altera alteram conſumit, quatenus vnâ actor rei æſtimationem conſequitur: quatenus verò pœnales ſunt, altera, alteram non conſumit: quemad-

modum in plurib⁹ actionibus pœnalibus, ex diuerſis factis deſcendentibus obſeruatur: quoniam æquum eſt nullius delicti impunitatem dari, iniquum verò eſt, bis eiuſdem rei æſtimationem actorem conſequi. Si igitur in pluribus actionibus de eadem re ex diuerſis factis deſcendentibus, contingit alteram actionem alteram conſumere, quando vel rei perſecutoria concurrit cum mixta, vel mixta cum mixta, cur in d. regula, l. Nunquam 130. de regulis iuris poſitum eſt, *præſertim pœnales*? Et ſi regulam admiſeris in mixtis, cum tamen in his, quatenus rei perſecutoriæ ſunt, altera, alteram conſumat, non quatenus pœnales; cur non etiam admittes indiſtinctè in actionibus, quæ ex eodem facto deſcendunt? quoniam earum alteram, alteram non conſumere verum eſt, quatenus plus in vna fuerit actione, quàm in alia? Verius eſt igitur regulam illam generaliter accipiendam, ſiue plures actiones de eadem re ex eodem facto, ſiue ex pluribus factis concurrant. Sed additum eſt in ea regula, *præſertim pœnales*, quoniam in his accidit, vt altera actio, alteram nullo modo conſumat, quando ex diuerſis factis ambæ deſcendunt, vt dictum eſt.

FINIS.

VINCENTII CABOTII·TOLOS· ANTECES. AVREL.

VARIARVM IVRIS PVBLICI, ET PRIVATI DISPVTATIONVM, LIBER SECVNDVS.

Ad Clariſſimum virum & doctiſſ. IOANNEM VOESIVM *Senatorem Pariſienſem.*



PARISIIS.
In Officina CLAVDII DE MONSTR'OEIL,
ET
IOANNIS RICHERII.
CIↃ. IↃ. IIC.

Cum Priuilegio Regis.

VIRO CLARISSIMO ET DOCTISSIMO, IOANNI VOESIO Senatori Pariſienſi, VINCENTIVS CABOTIVS; I.C.S.D.

PLATO in Gorgia docet, leges, & legum ſtudia, non ob aliam cauſam pulchra eſſe, quàm quòd aut conferũt, aut delectant, aut etiam vtrunque efficiunt. καὶ μὴν *inquit* τά γε κατὰ τοὺς νόμους καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα, οὐ δήπου ἐκτὸς τούτων ἐστὶ τὰ καλὰ τῷ ὠφέλιμα εἶναι ἢ ἡδέα ἢ ἀμφότερα. *Et vtrumque, non alterutrum tantùm, leges, & legum ſtudia efficere verius eſt. Nam, ſiue id quod vtile eſt, pulchrum nobis eſſe videatur; nihil vtilius eſt, quàm legibus regere, aut regi, quàm tenere rerumpublicarum adminiſtranda-*

rum, & negotiorum definiendorum ſcientiam. Sin autem pulchrum exiſtimemus delectari rebus honeſtis; nihil magis honeſtum eſt, quàm conſilium præbere ciuibus ſuis de re eorum familiari; illorum lites, & controuerſias dirimere; potentiorum iniuriâ oppreſsis, opem ſuam, vel potius legum opem impartiri; & tanquam templa quædam, ac fana toti reipublicæ apparere, vnde oracula peti, aut vbi preces fundi quotidie ſoleant. Huius ſtudij ab ipſa adoleſcentia deſiderio flagrans (Vir Clariſs.) te in diſciplinam doctiſsimorum virorum, qui eo tempore ius ciuile Romanorum Aurelianis, & Biturigibus interpretabantur, tradidiſti: ibi ex locuplete legum familia, numeroſam tibi doctrinæ, & eruditionis ſupellectilem comparaſti: & in earum hortis amœniſsimis ſpatiatus, vndique tibi variam antiquitatis, & ciuilis philoſophiæ cognitionem decerpſiſti. Neque tamẽ vtilitas eius ſcientiæ tantum te ad hæc ſtu-

dia impulit, quantum voluptas rapuit. Vnde etiam ſit, vt hodie ſucciſiua tempora, cùm te infinita iudiciorum occupatio reſpirare à labore ſinit, in hæc potiſsimùm ſtudia iuris conferas. Nulliſque magis hominibus delectaris, quàm his, quos peritos iuris & legum ſcientiæ noueris: in quorum ſermonibus, & diſputationibus de iure ſæpiſsime conquieſcis. Illos etiam tua auctoritate propugnas, & defendis: quo nomine me tibi maximè deuinctum eſſe ſcio. Vulgare eſt illud Marci Senecæ in Controuerſis: Ingratum eſſe eum, qui ne fatetur quidem beneficium. *Illa quæ in me contuliſti beneficia, fatebor ſemper ingenuè, quibus parem me non poſſe reddere gratiam agnoſco. Quò tamen aliquod grati mei in te animi ſpecimen ederem, hunc tibi ſecundum Diſputationum iuris publici, & priuati librum dicare volui, qui non contemnendas, niſi me quædam* φιλαυτία *decipit, vtriuſque il-*

lius iuris diſputationes continet. Illum ſi tuo iudicio probaueris, inde colligam me doctis viris placuiſſe: & de alijs libris, quos ad quaſdam iuris partes inchoare meditor, ſpem optimam concipiam. Scribit L. Seneca in epiſtolis: Maiorem eſſe illum, qui in ſcribendo iudicium abſtulit, quàm eum qui meruit. *Sed malo ego iudicium tuum merere, quàm auferre. Auferre enim doctorum virorum iudicium vix poteſt, qui de rebus grauiſsimis ſcribit: quoniam in his non tam de oratione & ſtylo, quàm de rebus ipſis de quibus ſermo eſt, iudicium haberi ſolet. Vale. Aurel. Cal. Oct.* CIↃ. IↃ. IIIC.

Vincentij

VINCENTII
CABOTII I. C. VARIARVM IVRIS PVBLICI, ET PRIuati, Diſputationum liber ſecundus.

Iuris ciuilis Romanorum ſcientia, quantùm apud alias gentes, & nationes proſit, ad iuris publici, & priuati diſtributionem.

CAPVT I.

Leges neceſſariæ ad ciuilem hominum vitam, ad ſtatum Rerum publicarum conſtituendum & conſeruandum. Non temerè immutandæ leges, ſed magis interpretandæ. Inde neceſſariam iuris ſcientiam. Iuris Romani origo, & incrementa. Refutati qui iuris Romani cognitionem minimè neceſſariam dicunt. Francos ab antiquo iure Romano vſos. Non ſolùm ad iuris priuati, verùm etiam & ad publici diſtributionem apud alios populos, iuris Romani cognitionem proficere.

DIonyſius Halicarnaſſæus in fine libri I. Antiquitatum Romanarum tradit, in hoc maximè differre Græcos à Bar-

baris, quòd illi legibus viuant: hi verò nec iuris, nec legum æquitatem ſeruent. Sic enim ipſe tractans de Græcis, qui cùm inter Barbaros ſedes ſuas fixiſſent, mores ſuos commutauerant, *μήτε θεοὺς τοὺς αὐτοὺς νομίζειν, μήτε νόμους τοὺς ἐπιεικεῖς ὧν μάλιστα διαλλάσσει φύσις ἑλλὰς βαρβάρου*. Hoc non alia de cauſa accidere exiſtimandum eſt, quàm quòd nulli vel populi, vel homines, ciuilem, & humanam vitam viuere poſſint, niſi leges ſibi vitæ magiſtras propoſuerint. Qui enim arbitrio ſuo, non ad legum præſcriptum vitam inſtituunt, ſolent ad omne ſcelus, & improbitatem ruere: & barbaris tandem, atque ferinis moribus aſſueſiunt. Hinc Homerus lib. 9. Odyſſeæ Cyclopem Polyphemum humano inſenſum generi, & nullis cum hominibus conſortium habentem, dicit fuiſſe

Ἄγριον οὔτε δίκας εὖ εἰδότα οὔτε θέμιστας,

quod non parum ad hominum mores temperandos, & ad communicationem, & ſocietatem humani generis, iuris, & legum ſcientiam conferre exiſtimaret. Neque verò ſolùm quò homines ciuiliter viuant, leges ferri conuenit: ſed etiam ad ſtatum Rerum publicarum & cõſtituendum, & conſeruandum, ſunt apprime neceſſa-

riæ. Eſt enim vtrunque æquè peſſimum, & homines arbitrio ſuo viuere; & eorũ tantùm, qui ſummam reipublicæ tenent, arbitrio, ciuitates gubernari. Præclarè verò Aeſchines in oratione aduerſus Cteſiphontem, hanc reddit rationem, cur legiſlator poſuerit in iudicum iureiurãdo, illos pronuntiaturos ſecundum leges. ἐκεῖνο γὰρ εὖ εἰδὼς ὅτι ὅταν διατηρηθῶσιν, οἱ νόμοι τῇ πόλει σώζεται καὶ ἡ δημοκρατία. Semel autẽ conſtitutas leges immutare non expedit. Nam, vt Auguſtus in Senatu præcipiebat apud Dionẽ lib. 53. τὰ γὰρ ἐν τῷ αὐτῷ μένοντα, κἂν χείρω ᾖ, συμφορώτερα τῶν ἀεὶ καινοτομουμένων, κἂν βελτίω εἶναι δοκῇ, ἐστίν. Quare melius eſt leges interpretari, quã ſubinde mutare, quã leges legibus addere, ne mutuo ſe cõflictu collidant, & quodammodo euertant. *Legibus 12. tabularũ latis*, (inquit Pomponius in l. 2. D. de origine iuris) *cœpit, vt naturaliter euenire ſolet, vt interpretatio deſideraret prudentium auctoritatem, neceſſaria eſſet diſputatio fori.* Rectè dicit Pomponius naturaliter euenire: quia nec omnes caſus poſſunt legibus comprehendi: nec omnibus etiam qui quotidie emergere poſſunt, & iis qui iam emerſerint, eædem leges cõſtitui poſſe videntur. Sæpe enim prægrauante æqui, bonique lance, à legis præſcri-

pto recedendum eſt: nec poſſunt etiam adeo claris, & perſpicuis verbis leges concipi, quin ea plerunque lucem, & interpretationem deſiderēt. Quamobrem neceſſaria eſt interpretatio prudentium: neceſſaria eſt iuſti, & iniuſti ſcientia, quæ legem interdum ſuppleat, & ad ſimiles caſus extendat: interdum emendet, & corrigat: interdum verò expoſitione illuſtret. D. Auguſtinus cap. 24. lib. 8. de ciuitate Dei, refert Mercurium Triſmegiſtum ſcripſiſſe, veteres Aegyptios, quòd multùm circa Deorum rationem errarent increduli, non ſatis ad cultum, & religionem diuinā reſpicientes, inueniſſe artem, qua Deos efficerent. Eodem certè modo nutarent quotidie homines in iure reddendo, in legibus condendis, & interpretandis, & inter varias legum ſemitas, ancipites diu hærerent, ni certa eſſent iuris præcepta conſtituta, quæ vias iuſtitiæ commonſtrarent. Hinc Strabo lib. 12. refert, Maracenos Charondæ legibus vſos, elegiſſe aliquem legis peritum, qui eis eſſet legum interpres, quemadmodum apud Romanos ſunt Iuriſconſulti: & apud alias nationes, quæ legibus viuunt, idem vſurpatum fuiſſe, veriſſimum eſt. Sed palmam tulere Romani, præ illis

cæteræ gentes ignorantiâ huius ſcientiæ laborauerunt. Quómodo penitiora illi & ſecretiora iuſtitiæ adyta penetrauerint, non erit, vt opinor, iniucundum ſcrutari. Dionyſius in principio lib. 10. ſcribit, ante leges 12. tabularum, perpauca in ſacris libris habita, quæ legum vim obtinerent: & horum ipſorum ſcientiam, penes ſolos patricios extitiſſe, quòd hi ſoli in eius cognitione verſarentur. ὧν, ſcribit, οἱ πατρίκιοι τὴν γνῶσιν εἶχον μόνοι διὰ τὰς ἐν αὐτῇ διατριβάς. Poſt latas leges 12. tabularum, non hi, ſe ad reſpōdendum de iure applicuerunt, qui omni doctrinarum genere referti in vmbris ſcholarum delitęſcebant: ſed ampliſſimi, & primæ dignitatis viri, qui vt ſcribit Cicero 1. de oratore, in reſpondendo iure, non plus ingenio, quàm auctoritate valebant. In eorum diſciplinam ſe dabant iuuenes illuſtrium familiarum, qui ſummas dignitates, & magiſtratus ambiebant: non parùm enim canditatis proderat, operam in cauendo, & cōſulendo ciuibus præſtitiſſe. Non erant alij, qui rempublicam gererent, & eius bene adminiſtrandæ rationes tenerent: alij, qui iudicia, & iura priuatorum tractarent: ſed ijdem ſæpe erant, qui in ſenatu cōſilia reipublicæ, domi verò

publicè legi in ſcholis. Academiæ inſtitutæ ſunt, in quibus ius ciuile Romanorum exponeretur. Profeſſores inſtituti, quibus præmia, ſalaria & priuilegia decreta ſunt. Miror eſſe, & extitiſſe quoſdam, qui tantum legibus, & moribus noſtris tribuerint; vt neceſſariam non eſſe iuris Romani cognitionem adſerere non dubitauerint. Leges, inquiunt, habemus, quas ſi neceſſe fuerit, commentarijs illuſtrare poterimus. Primùm, quis commentarios ad leges noſtras componet? Vnde legum noſtrarum expoſitiones hauriet, quàm à limpidiſſimis iuris Romani fontibus? Aliunde aquæ turbidæ ſunt. Hîc verò profluunt latiſſima omnis diuini, & humani iuris flumina; vberes ciuilis Philoſophiæ, & antiquitatis riuuli. Deinde quis cõponet? An erit aliquis noſtrum adeo fœlicis ingenij, & eximiæ doctrinæ, vt id præſtare aliqua ex parte iuri Francico valeat, quod iuriſconſulti Romani iuri Romano præſtiterunt. Et id dico etiam, vbi eius interpretationes ex auctoritate Principis vim legis habituræ eſſent. Scio non eſſe vnius hominis operam: ſed nec vnum, nec plures id præſtare poſſe exiſtimo. Infantire prorſus, & ineptire videbuntur illi, qui ſine his, addam etiam, &

qui cum his, ſtylo manum apponent. Illi enim omni doctrinarum genere exculti e-rant; eloquentia quàm maximè præſtabāt; ius publicum plerique eorum tam bene norāt, quàm priuatum; rerum ſummarum experientiam tam in iure reddendo, quàm in rebus gerendis habebant. Nos autem vix primoribus labris primas artes deguſtaui-mus, cùm ſubitò à parentibus noſtris arri-pimur ad forum, ad tribunal, ad conſilia quādoque Principiū. Pręterea, quæ ſumma ſtultitia eſt, exquiſitiſſimas, & lautiſſimas epulas paratas reijcere, quò tibi labore, & diligētia, aliunde vilia fortaſſe, & inſuauia edulia cōpares? melius eſt, ſi fercula quędā habueris cibi hactenus incogniti, ea vnà cum alijs menſæ apponere, quò opiparum ſit, & lautius conuiuium. Romani cæteras omnes nationes armorū gloriâ ſuperarūt. Superarūt etiā hac iuris cognitione, & ſciē-tiâ. Hâc tamen plus adepti ſunt, quàm illâ. Solent enim victi populi, victoris populi leges accipere: horum verò, poſtquam de-uicti fuerunt, & imperium amiſerunt, iure, & legibus vtimur. Neque tamen tam legi-bus Romanis vtimur, quàm ex legibus Romanis deprompta iuris ratione. Quili-bet enim populus, non alienis, ſed ſuis le-

gibus delectatur. Et vt pluribus docet Philo libro 2. de vita Moſis, omnes populi leges ſuas meliores aliorum populorum legibus exiſtimant. Sed quamuis nemo alienis legibus libenter viuat, permulti tamen extiterunt populi, qui ius Romanū legi, & publicè recitari præceperūt: & eius auctoritate in cauſis definiẽdis vti permiſerūt, vbi nō aliud legib⁹ ſuis, vel cōſuetudinibus receptū eſſet. Hoc modo Francos ab antiquo, lites ſecundū ius Romanū plerunque definiſſe locus indicat Aimoini cap. 28. lib. 4. de geſtis Francorū, vbi ſcribit, Sadregeſili Ducis Aquitaniæ filios, in publico Francorum conuentu, ſecundum leges Romanas, quæ ſanciunt paterna hereditate priuandos, qui interfecti noluerunt necem vindicare, omnibus paternis bonis exutos; ex quibus bonis multa prædia donaſſe Dagobertum Regem Eccleſiæ diui Dionyſii. Gregorius quoque Turonenſis cap. 41. lib. 6. Hiſtoriæ Francorum, Andarchij cuiuſdam Franci meminit, periti Theodoſianæ legis; vnde intelligere poſſumus, Francos, illis etiam temporibus, iuri Romano operam dediſſe. Idemque etiam & in aliis ferè omnibus Europæ populis vſurpatum eſt: apud quos nemo adhuc iudicandi munere

ſcire volumus qui rectum ſit, quid non ſit, regulam adhibemus, qua id dignoſcatur: ſic cùm leges cōdendæ, vel abrogādæ ſunt, hæc regula æqui, & boni adſumenda eſt, ad quam, leges quas laturi ſunt, legiſlatores dirigant. Negabat Euthydemus apud Xenophontē lib. 4. Ἀπομνημονευμάτων ἄνευ δικαιοσύνης ἀγαθὸν πολίτην γενέσθαι. Negabo etiam ſine iuris ſcientia, poſſe aliquem ciuilem, & politicum virum fieri. Illi enim ſufficit, quò iuſtus habeatur, vt legibus obtemperet: huic etiam leges ferre neceſſe eſt, quò ille iuſtus fiat, & leges quoque latas vindicare, in eos qui earum imperia, aut neglexerint, aut violauerint. Et poteſt ille qui in priuato iure verſatur, ignorare ius publicum: non poteſt qui in publico, ignorare priuatum, quia non ex publicis priuatum, ſed ex priuatis conſtat publicum. Ex quo duo ſequuntur. Primum plus cōferre ad iuris publici cognitionem, ſcientiam iuris priuati, quàm publici iuris ſcientia ad cognitionem priuati conferat. Alterum eſt ciuili, & politico viro, non ſolum cognitionem iuris publici, verùm etiam & priuati omnino eſſe neceſſariam.

Quarum rerum cognitio neceſſaria ſit politico, & ciuili viro.

CAPVT II.

Neceſſariam ciuili viro & politico cognitionem iuris publici, & priuati. Ius publicum tenendum vicinorum regnorum, & rerum publicarum. Qualis cognitio Theologiæ neceſſaria. Omnium populorum hiſtoriæ tenendæ. Nec minus illa pars Philoſophiæ quæ ciuilem adminiſtrationem & mores reſpicit. Experientia rerum habenda. Vulgi, optimatum, & Regis natura pernoſcenda, prout ſtatus popularis eſt ariſtocraticus vel regius: ſed in quolibet ſtatu vulgi naturam cognoſcendam eſſe.

EST igitur neceſſaria iuris publici, & priuati cognitio ei, qui in reipublicæ adminiſtratione verſatur. Hi in conſilium Principium allegendi ſunt, qui vtrumque ius bene nouerint: vt legimus, Aſſuero regi ſapientes ex more regio ſemper adhæſiſſe, ſcientes leges, & iura maiorum, quorum conſilio omnia faceret cap. 1. lib. Eſther. Sed non ſolùm ius publicum tenere debet ciuitatis, aut regni, cuius gubernaculis admotus fuerit, verùm etiam & vicinorum regnorum, & rerum publicarum: vel, quia ad exteras nationes per-

ſæpe legationes obeundæ ſunt, contrahenda cum his fœdera, pactiones, ſocietates bellorum, affinitates iungendæ, gerenda bella, dirimendæ controuerſiæ: vel etiam, quoniã quod optimum in eorum iure eſt, non eſt alienum in ius ſuum quandoque referre, & redigere. Illius ſcientiæ, quæ ad Deum eſt, cognitio ciuilem virũ latere nõ debet. Nã, vt præclarè Plato, lib. 12. de legib. τοῖς δὲ φυλακῆς μετέχουσι μὴ δὲ ἐπιτρέπειν ὃς ἂν μὴ διαπονήσηται τὸ πᾶσαν πίστιν λαβεῖν τῶν οὐσῶν περὶ θεῶν. Et eleganter Minutius Fœlix lib. aduerſus gẽtes qui vulgò 8. Arnobij habetur: *Niſi diuinitatis rationem diligenter excuſſeris, neſciás humanitatis, nec poſsis pulchrè gerere rem ciuilem, niſi cognoueris hanc communem omnium mundi ciuitatem.* Sæpe tamen accidit, vt qui nimiùm rerum diuinarum ſtudio dediti ſunt ad res gerẽdas ſint minùs idonei. Vix enim coniungi ſolent diuinarum rerum contemplatio, & reipublicæ adminiſtratio, vt docet Nicephorus Gregoras lib. 3. Romanæ hiſtoriæ. Quamobrem, non qualis in Theologo, in ciuili viro Theologiæ cognitio deſiderabitur. Verſabitur quoque in omnium populorum hiſtorijs: ſed ita, vt non minùs facta, quàm dicta, rationes cõſiliorum, quàm euentus, cauſas bellorum

λέγειν τὲ καὶ πράττειν τὰ πολιτικὰ νομίζουσι τινες ἄνευ παρασκευῆς τῆς ἐπιμελείας αὐτόματοι ἐξαίφνης δυνατοὶ ταῦτα ποιεῖν ἔσεσθαι. Non tamen ſatis eſt, didiciſſe hæc omnia, ſed experientia aliqua rerum habenda eſt. Qui enim in ſtudiis literarum, & Philoſophiæ probè verſatus, nullum rerum humanarum vſum habet; non prius ad res publicas gerendas admitti debet, quàm priuatis, leuioribuſque tractandis ſe aſſueſecerit: vt Plato docet lib. 7. de republica. Et, ſi ad popularem rempublicam accedat, vulgi; ſi ad ariſtocraticam, optimatum; ſi ad regnum, regis natura pernoſcenda eſt, & ingenium diſcendum eſt. Tacitus lib. 4. Annalium. *Igitur vt olim plebe valida, vel cùm patres pollerent, noſcenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur, ſenatúſque & optimatum ingenia qui maximè perdidicerant, callidi temporum & ſapientes credebantur, & cet.* Sed & ſemper vulgi naturam cognoſcendam exiſtimo: & maximè ciuilis vir, qui in conſilium principis adſciſcitur eam noſſe debet; vt ſuggerat principi, quod optimum eſt ad conciliandos, vel retinendos in officio ſubditos. Rex enim volētibus imperat. Debent quidem velle ſubditi obedire, & ſubeſſe regi ſuo: ſed quandoque aliud volunt. Ad eos

igitur continēdos, plurimùm poterit conſiliarius principis, qui mentem vulgi nouerit; qui eò faciliùs remedia præparabit, quibus orientibus ciuilibus motibus, & ſeditionibus occurrat, quæ ſtatum principis peſſundare ſolent.

De poteſtate Senatus Romani temporibus Reipublicæ.

Capvt III.

Bodinus reprehenſus qui poteſtatem aut imperium Senatûs Romani nullum fuiſſe dixit temporibus reipublicæ. Quæ fuerit Senatûs poteſtas regum temporibus. Quæ poſtea: vt nunc maior, nunc minor Senatus habebat animaduerſionem. Cur Senatus non poterat cogere conſulem, vt dictatorem diceret.

Cogit me veritas ſæpe diſſentire ab his viris, qui hac ætate, vel de republica, vel de iure ciuili doctiſſime ſcripſerunt. Maximè verò pati non poſſum virum eruditum ſcripſiſſe, temporibus reipublicæ Romanæ, nullam fuiſſe poteſtatem, aut imperium Senatus, ſed omnia populū pro imperio ſuo iuſſiſſe: decreta tantùm fuiſſe Senatus, imperia, & iuſſa populi. Probabilior ea ſententia mihi viſa fuiſſet, ſi tempora diſtinxiſſet:

ſtinxiſſet: cùm verò nullis diſtinctis temporibus hoc ſcripſerit, reijcienda omnino, vt opinor, eſt. Sic enim res ſe habet. Romulus cõſtitutis ſenatoribus, & equitibus, honores, & poteſtates ita in ſingulos ordines diſtribuit, vt ſacrorum cura penes Regem eſſet, & quicquid ad placandos deos attinet, per eum gereretur, legum, ac conſuetudinum patriarum cuſtodiam haberet; omniſque iuris, quod vel natura dictat, vel pacta, & tabulæ ſanciunt curam ageret: vtque dé grauiſſimis delictis ipſe decerneret, leuiora permitteret ſenatoribus; prouidendo interim, ne quid in iudicijs peccaretur: vtque ſenatum cogeret, populum in concionem conuocaret, primus ſententiam diceret, quod pluribus placuiſſet, ratum haberet. Senatui verò dedit, vt is, de quibus à rege ad ipſum referretur, de his decerneret, & ferret calculum; ita vt ſemper obtineret plurium ſententia. Plebi autem hæc tria commiſit, magiſtratus creare; leges ſancire, de bello, ſi rex permiſiſſet, decernere. Non tamen abſolutã in his populi poteſtatem eſſe voluit, ſed etiam accedere Senatus auctoritatem. Hæc ſcribit Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 2. Expulſis poſtea regibus, factione optimatum, Sena-

tum, qui ex optimatibus tantùm cõſtabat, iura regum arripuiſſe, & ſibi attribuiſſe verum eſt. Ex his verò, cùm deinde plebs, multà ad ſe, miniſterio Tribunorum plebis, tranſtuliſſet, maior eſt facta populi poteſtas, minor Senatus: vt rectè poſſis dicere, regiã primùm Romæ poteſtatem fuiſſe, deinde optimatum, poſtmodum popularem, & denuo oppreſſâ à Cæſare, & Auguſto, republicâ, regiam: quod ſatis oſtendit Tacitus illo loco 6. Annal. *Igitur, vt olim plebe valida, vel cùm patres pollerent &c.* Et apertiùs Dioniſius pluribus locis; vt initio lib. 5. ſcribit, expulſis Regibus Romanos introduxiſſe optimatum imperium, & lib. 6. dicebant conſules ad Senatum. *Ἴστε δή που νόμον ἡμῖν ὑπάρχοντα ἐξ οὗ τήνδε οἰκοῦμεν τὴν πόλιν, πάντων εἶναι κυρίαν τὴν βουλήν, πλὴν ἀρχὰς ἀποδεῖξαι, καὶ νόμους ψηφίσαι, καὶ πόλεμον ἐξενεγκεῖν, ἢ τὸν συνεστῶτα καταλύσασθαι. τούτων δὲ τῶν τριῶν τὸν δῆμον ἔχειν τὴν ἐξουσίαν, ψῆφον ἐπιφέροντα.* & paſſim vbique eodẽ libro Appius Claudius patres obteſtatur, ne ſinant rempublicam, quæ erat optimatum, degenerare in deterrimam omnium ſpeciem popularis regiminis. Et lib. 7. 8. 9. incrementa popularis poteſtatis idem auctor tradit: dum agit de Martio, de iudicio Martij, de lege Voleronis, de diſceſſioni-

bus plebis, & frequentibus diſſidijs inter patres, & populum. Et lib. quoque 8. ſic loquentem Martium ad Volſcos facit. *Ῥωμαίοις τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς πολίτευμα ἦν ἔκ τε βασιλείας καὶ ἀριστοκρατίας. ἔπειτα ὁ τελευταῖος βασιλεὺς Ταρκύνιος τυραννίδα τὴν ἀρχὴν ἠξίου ποιεῖν. συστάντες οὖν ἐπὶ αὐτὸν οἱ τῆς ἀριστοκρατίας ἡγεμόνες, ἐκεῖνον μὲν ἐξέβαλον ἐκ τῆς πόλεως, αὐτοὶ δὲ τὰ κοινὰ κατέσχον, ἀρίστην καὶ σωφρονεστάτην, ὡς ἅπαντες ὁμολογοῦσι, καταστησάμενοι πολιτείαν, χρόνοις τε οὐ πολλοῖς τῶν νῦν πρότερον, ἀλλὰ τρίτον ἢ τέταρτον τοῦτο ἔτος, οἱ πενέστατοί τε καὶ ἀργότατοι τῶν πολιτῶν, πονηροῖς χρησάμενοι προστάταις, ἄλλα τε πολλὰ ἐξύβρισαν, καὶ τελευτῶντες καταλύειν τὴν ἀριστοκρατίαν ἐπεχείρουν.* Tranſlata verò factionibus tribunitijs poteſtate in populum, manſit adhuc Senatus poteſtas in multis, quæ Polybius lib. 6. enumerat. Quæ nequaquam dicendū eſt, permittente, & conniuente populo Senatum habuiſſe, nō iure ſuo. Nam, cū ea antea ſemper Senatus iure ſuo habuerit, nec ea populum Senatui ademiſſe legamus, iure ſuo adhuc illa Senatum habuiſſe dicendum eſt. Nec moror legem Semproniam, quæ non ademit ærarij diſpenſationem Senatui, quam numquam à populo appetitam fuiſſe ſcribit Cicero in Vatinium, ſed tantùm militibus veſtes attribuit, præter ſtipendium. Addam locum

Liuij lib. 34. ex quo coniecturam capere poterimus, etiam tranſlata ad populum poteſtate, non minimum fuiſſe Senatus Imperium. *Nolite*, (dicebat Nabis tyrannus Lacedemoniorum T. Quintio & Romanis qui colloquio aderant) *ad veſtras leges, atque inſtituta, exigere ea, quæ Lacedemone fiunt: nihil comparare ſingula neceſſe eſt: vos à cenſu equitem, à cenſu peditem legitis, & paucos excellere opibus, plebem ſubiectam eſſe illis vultis: noſter Legumlator, non in paucorum manu rempublicam eſſe voluit, quem vos Senatum appellatis, &c.* Non eadem vere ſemper manſit, poſt quam maius eſſe cœpit populi, quàm Senatûs imperium, Senatûs poteſtas & auctoritas: ſed nunc minor, nunc maior fuit: minor, cùm labefactabatur, & cedebat tribunitijs furoribus: maior, cùm acciſa eſt à Sylla, & in nihilum fermè redacta tribunitia poteſtas, quam Pompeius poſtea reſtituit, vt ex Appiano lib. 1. & 2. de bello ciuili colligitur. Sed etiam Senatum Romanum poteſtatem habuiſſe temporibus reipublicæ, ex poteſtatis ſuæ imagine quæ manſit temporibus Imperatorum, clarum omnibus & perſpicuũ eſſe debet. Scribit Tacitus Annalium lib. 13. manſiſſe temporibus Neronis,

quandam imaginem reipublicæ: cùm Senatus prohibuit tribunos ius prætorum, & conſulum præripere, aut vocare ex Italia, cum quibus lege agi poſſet, intra domum pro poteſtate animaduertere: & multa alia ſcribit Senatum prohibuiſſe, vel iuſſiſſe. Vopiſcus in Tacito refert Tacitum Imperatorem, multùm eſſe delectatum Senatus libertate, quod ei negatus eſſet conſulatus, quem fratri petierat. Hunc errorem Bodini, quem hoc capite confutaui, alius error peperit, de quo ſequenti capite dicam. Quòd enim nullum eſſe Imperium mixtũ, vel ex tribus, vel ex duobus Reipublicæ generibus exiſtimaret, ideo negauit temporibus reipublicæ, vllam fuiſſe Senatus Romani poteſtatem. Et, vt id probaret vſus eſt truncato Liuij loco lib. 26. *Per Senatum agi de Campanis iniuſſu populi non video poſſe.* Verba ſunt Attilij Reguli, quæ ſic extant apud Liuium. *Per Senatum agi de Campanis, quia ciues Romani ſunt, iniuſſu populi non video poſſe.* Habebat quidem Senatus poteſtatem animaduertendi in eos, qui flagitia per Italiam commiſerant, vt proditionis, coniurationis, veneficij, cædis dolo perpetratæ, vt ſcribit Polybius lib. 4. ſed non in ciues Romanos, iniuſſu populi, propter

legem Valeriam. Et, quod affert ex alijs locis Liuij, non potuiſſe Senatum cogere Conſulem, vt Dictatorem diceret, hanc habebat rationem: quòd, vt docet Polybius eodem libro, conſulibus omnes ſubijciebantur, præter Tribunos plebis, quorum miniſterio vtebatur Senatus, cùm Conſulem cogere vellet ad Dictatorem dicendum.

Quòd non omnis ſtatus Reipublicæ ſimplex ſit, ſed ſit aliquis mixtus.

CAP. IV.

Mixtum aliquem eſſe reipublicæ ſtatum ex veterum ſententia contra Bodinum. Rationes Bodini. *Iura ſupremæ poteſtatis. Romani regni & Romanæ reipublicæ ſtatus mixtus: Sed Romanæ reipublicæ ex duobus, non ex tribus reipublicæ generibus contra Polybium. Mixtum ſtatum meliorem, in quo præminet regia poteſtas. Quatuor genera mixti ſtatus. Confutatæ* Bodini *rationes.*

VEterum ſententia eſt, non omnem ſtatum reipublicę eſſe ſimplicem, ſed mixtum aliquem eſſe, vel ex duabus, vel ex tribus gubernationum ſpeciebus, quem melio-

rem quouis ſtatu ſimplici ſcribunt. Bodinus verò negat vllum eſſe ſtatum mixtum; ſed omnem ſtatum reipublicæ ſimplicem eſſe ſtatuit; qui vel popularis ſit, vel ariſtocraticus, vel regius. Mouetur his rationibus. Si aliqua fuerit compoſita reipublicæ ſpecies, neceſſe erit in ea leges ferri contrarias. Nam leges ad reipublicæ formã, quæ conſtituta eſt, dirigi debent. Vnde ſi leges tuleris, quæ regiæ adminiſtrationi conueniant, illæ euertent ſtatum popularem, & ariſtocraticum: & viciſſim, quæ populari, vel ariſtocratico, regium. Deinde, cùm imperium ſummum diuidi nullo pacto poſſit, ſi commiſcueris tres ſpecies reipublicæ & ex his mixtum ſtatum compoſueris, diuidetur imperium in Regem, in ſenatum, in populum: quod ratio nullo modo patitur. Nec id aliter obtinere poteſt, quàm ſi vno die regi, altero ſenatui, altero populo imperium committas. Qui penitiora, & abſtruſiora ciuilis diſciplinæ loca penetrauerit, has rationes quæ primo obtutu graues videntur, leues eſſe comperiet. Hæc eſſe ſupremæ poteſtatis iura, & quaſi notas & inſignia, ex Ariſtotele, Dionyſio, Polybio, Dione colligitur: arbitrium habere pacis, & belli; creare magiſtratus; præmia,

ac ſupplicia irrogare ; criminum gratiam facere; leges omnibus ferre; à iudicibus, ad ſe prouocationem eſſe, ſine prouocatione cognoſcere, Aerarij procurationem, & diſpenſationem habere, habere de maximis rebus, quæ ad rempublicam pertinēt, cōſultationem, & diſpoſitionem. Addendum etiam eſt, ius habere monetam ſuo nomine fabricandi, & noua tributa ſubditis indicendi. Ex his, ſi quædam rex, quædam ſenatus, alia populus habeat, mixtus erit proculdubio ſtatus: nam nec optimatum eſt, nec regius, nec popularis abſolutè: quoniam non illa omnia ſupremi imperij iura rex, aut populus, aut ſenatus habet. Quemadmodum in Romano regno, alia attributa fuiſſe regi, alia ſenatui, alia plebi docui in ſuperiori capite, ex Dionyſio: & ad populum quoque prouocationem fuiſſe; imò etiam reges ipſos apud populū cauſas dixiſſe conſtat ex eodem Dionyſio lib. 3. & Liuio lib. 1. in Romana republica ſtatus non fuit compoſitus ex tribus reipublicæ generibus, ſed ex duobus, ex optimatum, & ex populari. Nam conſul non habuit ſummam poteſtatem, cui non ſuberant Tribuni plebis, quem etiam tribuni in vincula duci quandoque iube-

bant, vt alij antè tradiderũt: nec arbitrium pacis, & belli; nec ius creandorum magiſtratuum habebat: nec etiam præmia, aut ſupplicia irrogabat, niſi in bello: nec leges ferebat, quæ omnes tenerẽt: ſumptus tantùm ex ærario faciebat, quantum ſibi videretur, & quædam alia pro poteſtate gerebat, quæ Polybius lib. 6. refert: vbi malè ſtatum reipublicæ Romanæ compoſitum ex tribus reipublicæ generibus exiſtimat. Fuit enim tantùm, vt dixi, compoſitus ex duobus. In quo præualuere primùm optimates, deinde populus. Vix enim contingit in ſtatibus mixtis, vt non vna ſpecies reipublicæ præmineat. In mixtis ex tribus, melius eſt, vt præualeat regia, in mixtis ex duab⁹, ſi vna regia ſit, regia quoque, ſi nulla ſit regia, optimates præualeãt. Hoc eleganter oſtendit Polybius eodem libro, dum ſcribit, ideo Romanos Carthaginenſes, viciſſe, quòd apud Carthaginenſes populus in conſilijs plurimùm poterat: apud Romanos ſenatus vigebat: vnde, apud illos multis, apud iſtos verò optimis conſulentibus res Romanorum inualuere. Nam etiamſi de ſumma rerum Romani aliquando periclitati ſint, optimis tamen conſilijs vſi, tãdem Carthaginenſes deuicerunt. Se-

natûs igitur non modica fuit Romæ poteſtas in adminiſtratione reipublicæ, quod etiam docui ſuperiore capite. Nam, & Aerarij diſpenſationem habuit, & animaduerſionem criminum, quæ in Italia committerentur, in omnes, præterquam in ciues Romanos, auctore Polybio. Nō enim poterat Senatus animaduertere in ciues Romanos, iniuſſu populi. Itaque animaduerſionem criminum in Italia admiſſorum, in ciues Romanos populus habebat, in alios Senatus. Vnde colligere rectè poſſis, non ſolùm ſtatum eſſe mixtum, ſi vnum genus ſupremæ poteſtatis rex habeat, aliud ſenatus, aliud populus: verùm etiam, & ſi idem, ſed non in eoſdem: veluti, ſi populus animaduerſionem habeat in ciues, ſenatus in non ciues. Erit quoque & mixtus ſtatus, ſi ſimul rex, ſenatus & populus, idem in eoſdem habeat: vt in legibus, quas omnibus ferri conſtat, Romæ ſenatusconſulta præibant more patrio; nec aliquid abſque ſenatusconſulto decernebatur, aut approbabatur ſuffragijs populi. Dionyſius lib. 7. & lib. 10. ſcribit, negaſſe conſules, ſe legum ferendarum poteſtatem tribunis permiſſuros, præſertim de quibus in ſenatu præconſultatum non eſſet. Et Appius Claudius a-

pud eũdem lib. 7. accuſabat plebem, quòd inconſulto ſenatu leges tuliſſet, eaſque ſine ſenatus cõſenſu firmaſſet ſuffragijs. Decius quoque tribunus plebis eodem lib. ſic loquitur, περὶ ὧν γὰρ οὐκ εἰσὶ νόμοι, περὶ τούτων ὑμεῖς τοῦ προϐουλεύειν κύριοι, καὶ ὁ δῆμος ἐπιψηφίσαι. Bella quoque, niſi ſenatus decreuiſſet, non iubebat populus. Decretum erat ſenatûs, iuſſus populi. Liuius lib. 37. *poſtremò pacem datam à L. Scipione Imperatore, quibus legibus dediſſet, confirmarent auctoritate ſua. Et Senatus eam pacem ſeruãdam cenſuit, & paucos poſt dies populus iuſsit* & lib. 45. *Sed & Prætor nouo, maloque exemplo rem ingreſsus erat, quòd, antè non conſulto ſenatu, non conſulibus certioribus factis, de ſua vnius ſententia rogationem ferret: vellent, iuberéntne Rhodijs bellum indici: cùm antea ſemper prius Senatus de bello cõſultus eſset, deinde ad populum, latum.* Eodem modo à rege Polonorum, & Senatu Polono, ſine nuncijs terrarum, quos vocant, nec decerni tributum, nec lex ferri poteſt, vt ſcribit Cromerus lib. 27. Et idem etiam lib. 19. refert, comitijs Ledlinẽſibus cautũ, ne quam rex monetam, niſi de ſententia Senatus cuderet. His omnibus caſibus neceſſe eſt, vt ſtatum mixtum eſſe dicamus. Aut nullus omnino ſtatus erit, maximè, cùm alter ſine

altero nihil eorum poteſt, quæ inter iura ſupremæ poteſtatis ſuprà retulimus. Quia in his non eſt arbitrium regis, non Senatûs, non populi, ſed ſimul & regis, & Senatûs, & populi. Mixtus igitur ſtatus eſt. In quo ſtatu ſi leges ferãtur, ferri æqualiter debent id eſt habita pari ratione regis, ſenatûs, & populi: nam, ſi in alterum eorum propendeant, diruent ſtatum illum mixtum, & in ſpeciem ſtatus ſimplicis, in quem propenderint, commutabunt. Quatenùs tamen in vnam ſpeciem reipublicæ magis ſtatus propendit, eatenùs poſſunt leges in eandem propẽdere. Nec vnus vno die imperabit, alter alio, ſed eodem tempore & rex, & ſenatus, & populus imperabit, vbi ſtatus compoſitus fuerit ex tribus reipublicæ ſpeciebus: vbi vero ex duabus, duo imperia ſimul, & eodem tempore aderunt. Hæc latiùs non perſequar, ſatis eſt enim me docuiſſe, aliquem ſtatum eſſe mixtũ: quod contingere quatuor modis, ex his quæ dixi, apparet. Primò, ſi vnus vnum genus ſupremæ poteſtatis, alter aliud habeat: veluti ſi Rex arbitrio ſuo magiſtratus conſtituat; optimates de bello, & pace decernant; populus leges ferat. Deinde, ſi idem imperium habeant, ſed non in eoſdem:

vt in republica Romana dixi Senatum criminum admiſſorum in Italia animaduerſionem habuiſſe in prouinciales, populum in ciues. Præterea, ſi idem imperium in eoſdem habeant; ſed non alter, ſine altero: puta, ſi Princeps non poſſit magiſtratus conſtituere, leges ferre, aut quid aliud ſupremæ poteſtatis peragere, ſine ſenatu, & populo. Poſtremò, ſi quædam vnus ſolus poſſit, non poſſit alia ſine alijs: alij vero ſoli nihil poſſint: veluti ſi Rex poſſit magiſtratus creare arbitrio ſuo, cudere monetam, præmia, & ſupplicia irrogare; non poſſit verò decernere de bello, & pace; aut leges ferre, ſine ſenatu, & populo: nihil verò eorum ſolus Senatus, aut populus poſſit. Et hunc ſtatum mixtum magis probarem, quoniam in regium inclinat ſtatum, qui melior eſt ariſtocratico, & populari: vt contrà minùs probarem eum, qui in popularem propenderet: quia popularis ſtatus deterior eſt regio, & ariſtocratico, propter ſtultitiam, & imperitiam vulgi.

De Imperio mero.

CAPVT V.

Imperium aut Merum, aut Mixtum. Merum imperium quodnam. Penes eum reſidet, penes quem reipublicæ ſumma eſt. Apud quaſdam nationes exiſtimari Deorum eſſe, non hominum. Principes in imperio dominico paucis merum imperium tribuunt: in regio expedire Principi vt alijs tribuat. Quibus tribuere debeat. Priuatis etiam olim demandatum. Non tamen omnibus aut magiſtratibus, aut priuatis omnes partes meri imperij tributæ. Certæ poenæ olim legibus Romanis ſingulis criminibus conſtitutæ. Definitio Meri imperij in l. 3. D. de iuriſdict. diſcuſſa.

IMPERIVM aut merum, aut mixtum eſt, l. 3. D. de iuriſdict. Merum dicitur, purum, ſolutũ, non cum iuriſdictione mixtum, quod iuriſdictioni non cohæret. Merum exponendum non eſt ex Cicerone in oratione pro Cecina, ſummum, vehementiſſimum, quod ad res grauiores pertineat. Eſt quidem, Merum imperium huiuſmodi. Nam nihil eſt in imperio grauius animaduerſione in homines facinoroſos. Sed hic imperium inſpicimus, quod ad ius priuatum reddendum ſpectat. Summum eſſe hoc imperiũ ex his quæ diximus in ſuperiori capite apparet. Nam ius animaduertendi & pœnas irrogandi inter iura ſupremæ poteſtatis retulimus. Itaque penes eum ſemper reſi-

det, penes quem reipublicæ ſumma eſt. Si ſtatus popularis ſit, penes populum: vt in republica Romana, penes populum fuit. Populus ſolus mortis iudicio vſus eſt, vt teſtatur Polybius lib. 6. Si optimatum, penes optimates. Si regius, penes Regem: vt Romæ, tranſlato imperio in Cæſares, eorum fuit, præmia, & ſupplicia irrogare. Imò etiam extitere quædam nationes, quæ non hominum eſſe, ſed Deorum merum Imperium exiſtimarunt: vt apud Germanos, ſcribit Tacitus lib. de moribus Germanorum, neque animaduertere, neque vincire, neque verberare licuiſſe, niſi ſacerdotum permiſſu, non quaſi in pœnam, nec Regum, aut Ducum iuſſu, ſed velut Deo imperante, quem adeſſe bellantibus credunt, id fiat. Et Cæſar lib. 6. Strabo lib. 4. ſcribunt, olim apud Gallos, Druides eadem, vt opinor, ratione, pœnas conſtituiſſe, eiſque priuata & publica iudicia cõmiſſa eſſe: Principes in imperio dominico paucis ſolent merum imperium tribuere. Nam, cùm ſumma ſit hæc poteſtas, & habeant eam Principes in imperio dominico liberam, nullis adſtrictam legibus, non in facinoroſos tantum, ſed in quoslibet, maieſtati, & auctoritati Principum

conducit, non per alios, ſed per ſe illam
exercere: & ſe vno excepto, domoque re-
gia, cæteros quoſlibet, paris videri fortunæ
& conditionis. Inde Sigiſmundus liber
Baro ab Herbeſtein in libro de rebus Mo-
ſcouiticis ſcribit, in Moſcouia, quæ im-
perio dominico regitur, ſolum Princi-
pem vltimo ſupplicio ſeruos, & alios af-
ficere poſſe, paucos ex præfectis habere
auctoritatem vltimum ſupplicium irro-
gandi: ex ſubditis neminem, aliquem tor-
quere audere. Et Ferdinandus Aluares, in
hiſtoria Aethiopica refert, in Aethiopia
Principem non minùs ſæuire ſolere verbe-
ribus in nobiles, & in magiſtratus, quàm
in miſeram plebeculam: mortis autem
pœna, in eo regno vſitata non eſt. In im-
perio regio expedit Principi, per alios ſup-
plicia irrogare, per ſeipſum præmia: quò
magis ſibi ſubditorũ beneuolentiã conci-
liet. Siquidem amandum ſe, non metuen-
dum præbere debet. Quamquã Mœcenas
apud Dionem lib. 52. Auguſto ſuggereret.
μήτε γὰρ αὐτόδικος καὶ μήτ' αὐτοτελὴς οὕτω τις τὸ παράπαν
ἔστω ὥστε μὴ οὐκ ἐφέσιμον ἀπ' αὐτοῦ δίκην γίγνεσθαι. Ex-
pedit igitur vt merum imperium alijs tri-
buat: verùm non omnibus, ſed magiſtra-
tibus tantùm: non priuatis, non ambitio-
ſis,

ſis, aut popularibus hominibus. Magiſtratus enim à Principe pendent: quicquid agunt, Principis auctoritate, & imperio agunt. Priuati ſæpe data ſibi poteſtate abutuntur. Sed priuatis etiam Romæ demandatū fuiſſe merum imperium veriſſimū eſt: quod ex profeſſo pluribꝰ probat Cuiacius cap. 39. lib. 15. & cap. 31. lib. 21. Obſeruat. Vt in cauſis ciuilibus olim Prætores, iudices dabant: ſic reperio in cauſis capitis, Romanos Principes iudices dediſſe. Plinius lib. 7. epiſtolarū, epiſt. 6. *Mater, amiſſo filio, libertos eius, eoſdemque coheredes ſuos, falſi, & veneficij reos detulerat ad Principem, iudicēque impetrauerat Iulium Seruianum.* Interdū etiam à magiſtratu, qui merum imperium habebat, cauſam capitis, iam apud eum agitari cœptam, transferebant in magiſtratum qui non habebat, illo facto eius quæſtionis iudice, & diſceptatore. Ammianus Marcellinus lib. 28. *Chilo, ex vicario, & coniunx eius, Maxima nomine, queſti apud Olybrium, ea tempeſtate vrbi præfectum, vitamque ſuam venenis petitam aſſeuerantes, impetrarunt, vt hi, quos ſuſpectati ſunt, illico rapti compingerentur in vincula, Organarius Sericus, & Asbolius palæſtrita, & aruſpex Campenſis. verùm negotio tepeſcente, propter*

diuturnam morborum aſperitatem, qua tenebatur Olybrius: moræ impatientes hi, qui rem detulerunt, libello petiuerunt oblato, vt examinandum iurgium præfecto mandaretur annonæ. Sunt, qui ſcripſerunt, temporibus reipublicæ Romanæ, nunquam priuatis demãdatum fuiſſe merùm imperium. Qui hac inani coniectura nituntur. Quod non ſit veriſſimile, Romanos, qui neque Reges cum imperio, nec decemuiros, nec conſules etiam cum ſumma reſtrictione poteſtatis, & fræno tribunatus iniecto, pati vllo modo potuerint; priuatis hominibus poteſtatem gladij committere voluiſſe. Nam committebant priuatis eo modo, quo magiſtratibus, ad tempus, non in perpetuum. Quemadmodum ex priuatis ſæpe creabant Dictatores ad tempus, qui hãc meram, ſummámque poteſtatem haberẽt. Conſules non habuiſſe merum imperium, omnes fatentur, niſi iuſſu populi, aut grauibus reipublicæ temporibus ex vulgato illo Senatuſconſulto, *viderent Conſules, ne quid detrimenti reſpublica caperet.* Quod lege, ſeu iuſſu populi dabatur, vel magiſtratibus, vel priuatis poſtea cõſtitutionibus principum, magiſtratibus, vel priuatis datum eſt. Sed ita, vt non omnes partes meri im-

perij daret Princeps, quaſdam concederet, quaſdam ſibi reſeruaret. Vlpianus in l. 8. Aut damnum, §. 1. D. de pœnis. *Sed animaduerti gladio oportet, non ſecuri, vel telo, vel fuſti, vel alio modo. Proinde, nec liberam mortis facultatem concedendi ius Præſides habent, multò minùs vel veneno necandi. Diui tamen fratres reſcripſerunt, permittentes liberam mortis facultatem.* & in §. præfecto eiuſdem, *l. Præfecto planè vrbi ſpecialiter competere ius in metallum damnandi, ex epiſtola Diui Seueri ad Fabium Cilonem exprimitur.* Et in l. inter pœnas. §. 1. D. de interdict. & relegat. in l. 1. §. 1. de legat. 3. dicitur, ius deportandi in inſulam non eſſe datum Præſidibus prouinciarum, datum eſſe Præfecto vrbi. & in l. vnic. C. Ne ſine iuſſu Principis certis iudic. lic. confiſc. non omnibus iudicibus datum eſſe ius confiſcandi. Et valde notandum eſt, olim iure Romano in publicis, & priuatis cauſis, certas pœnas fuiſſe legibus cōſtitutas, quas neceſſe non erat iudices ſententiâ ſuâ exprimere, quia de facto tantùm iudicabant, puta feciſſe videri: quam ſententiam tacito intellectu ſequebatur pœna legitima. l. ſi præſes. D. de pœnis, nec poterat iudex efficere, quò minùs damnatum pœna legitima ſequeretur, &

infamia: l. non poterit. D. de furt. l. Diuus Seuerus. D. de iniurijs: & ideò non licebat appellare, niſi maiorem, vel minorem legitimâ pœnam iudex irrogaſſet: l. ſi qua pœna. D. de verb. ſignificat. Quin etiam pœna definiebatur iudicibus, quam irrogarent: nec eis licebat grauiorem infligere: l. 4. C. de locato. Tacitus lib. 1. Annal. *& ſpectantium immodeſtiam exilio multandi poteſtas prætoribus fieret.* & lib. 13. *Cohibita arctiùs & Aedilium poteſtas, ſtatutúmque, quantum curules, quantum plebeij pignoris caperent, vel pœnæ irrogarent.* Non licebat etiam leuiorem. Nam, vt rectiſſimè Cuiacius regula illa iuris, *Cui quod plus eſt, licet; licere debet id quod eſt minùs*, in mero imperio officium ſuum perdit. Siquidem Præſes prouinciæ habet ius gladij. l. illicitas. §. qui vniuerſas, D. de offic. præſidis, non habet ius deportandi in inſulam. Puto autem Vlpianum in d. l. 3. de iuriſdict. definire merum imperium poteſtatē gladij: quòd vſitatior eſſet eius temporibus gladij pœna; quâ ſolâ vitam adimere licebat, d. l. aut damnum. §. 1. quò pertinet illud Caracallæ *Gladio te, non ſecuri exequi oportuit iuſſum meum.* Nec tamen diſplicet opinio eorum, qui in ea definitione ſubintelligũt

hæc verba *vel cuiuſuis alterius coercitionis* ex l. Nemo poteſt, D. de regul. iuris: & l. ſolet. D. de offic. proconſ. quoniam merum imperium latè patet; vt pote quod omnẽ facinorum animaduerſionem comprehendat.

Cur pœnæ arbitrariæ factæ ſint.

CAPVT VI.

Iudicia ordinaria, & extraordinaria. Legibus pœnam omnibus criminibus ſtatui, optimum. Pœnæ arbitrariæ factæ. Melius eſſe mediocres pœnas ſtatui, quàm maximas, & grauiſſimas.

QVOD dictum eſt in ſuperiori capite, olim iure Romano certam pœnam omnibus criminibus ſtatutam, locum habebat in ordinarijs iudicijs. Erant verò publica iudicia ordinaria, & legitima. Poſtea ordo exercendorum publicorum iudiciorum in vſu eſſe deſijt, durante tamen legum pœna; & cœpit extra ordinem de criminibus cognoſci, l. ordo. D. de public. iudic. Pœna deinde in incerto eſſe cœpit, in arbitrio iudicantium poſita: l. hodie. l. perſpiciendum. D. de pœnis. Legibus, pœ-

nam omnibus criminibus ſtatui, optimum eſt. Duriùs enim patiuntur homines imperia hominũ, quàm legum; & pœnas ſimiliter, quas homines, quàm eas quas leges infligunt. Laudatur apud Diodorum Siculum lib. 13. Diocles legiſlator Syracuſanus, quòd quamcunque cauſam, vel priuatam, vel publicam certâ multâ determinaſſet. Et Strabo lib. 6. ſcribit, cùm antea arbitriũ definiendarum condemnationum iudices legibus haberent, primum Zaleucum in ſingulis delictis pœnas legibus definijſſe. Hector Boëthius lib. 11. hiſtoriæ Scotorum refert, Doruadillam, Regem Scotorum, varios ſuppliciorum modos, varijs pro flagitijs in tabulas redactos, leges appellaſſe. Has verò, viri vnius, qui optimus ſimul eſſet, ac literatiſſimus, cõmiſiſſe cuſtodiæ: hunc dixiſſe iuris interpretem, vt occurrenti delicto debitum ex tabulis ſupplicium, & reo, & iudici oſtẽderet: iudicémque populus in emendandis erroribus dignoſceret ab æquo minimè digreſſum. Neque ea ætate magiſtratum ob quoduis crimen, niſi priùs oſtenſis tabulis populo, ac publicè ſanctione prælecta, quenquam, vel nocentiſſimum ſupplicio damnaſſe. Cur ab eo iure receſſum ſit, & pœnæ arbi-

trariæ vbique factæ, non aliunde ratio petenda eſt, quàm ex his verbis Diodori apud Thucididem lib. 3. καὶ εἰκὸς τὸ πάλαι τῶν μεγίστων ἀδικημάτων μαλακωτέρας κεῖσθαι αὐτὰς, παραβαινομένων δὲ τῷ χρόνῳ ἐς τὸν θάνατον αἱ πολλαὶ ἀνήκουσι. καὶ τοῦτο ὅμως παραβαίνεται. ἢ τοίνυν δεινότερόν τι τούτου δέος εὑρετέον ἐστὶν, ἢ τόδε γε οὐδὲν ἐπισχεῖ. Cùm pœnę legibus ſtatuuntur, melius eſſe mediocres pœnas ſtatui, quàm maximas, & grauiſſimas, ex his quæ iudicaſſe Senatum Romanum ſcribit Dion libro 36. colligitur. ἡ γὰρ βουλὴ συνιδοῦσα ὅτι τὸ μὲν ὑπερβάλλον τῶν τιμωρημάτων ἐν μὲν ταῖς ἀπειλαῖς ἔκπληξίν τινα ἔχει. οὔτε δὲ τοὺς κατηγορήσοντας οὔτε τοὺς καταψηφιουμένους τῶν ὑπαιτίων, ἅτε καὶ ἀνηκέστων αὐτῶν ὄντων, ῥαδίως ξυρίσκει. τὸ δὲ δὴ μέτριον εἴς τε τὰς κατηγορίας συχνοὺς προάγει. καὶ τὰς καταψηφίσεις, οὐκ ἀποτρέπει μεταρυθμίσαι πῃ τὴν ἐσήγησιν αὐτοῦ καὶ τοῖς ὑπάτοις νομοτεθῆσαι αὐτὴν ἐκέλευσεν.

An Imperium Merum demandari poßit.

Capvt VII.

Merum imperium demandari non poſſe. Exceptio poſita in l. 1. D. de offic. eius, Eius expoſitio reiecta interpretatione Cuiacij. Exceptio alia, niſi hæc facultas demandandi conceſſa ſit. Magiſtratum hodie, qui quaſi iure magiſtratus merum imperium habet, non poſſe illud demandare.

MERVM Imperium demandari non poſſe certum eſt, l. 1. in princip. D. de officio eius cui mand. eſt iuriſd. l. Solet. D. de offic. proconſ. l. Nemo poteſt. D. de regulis iuris. Excipit Papinianus in d. l. 1. niſi is, qui merum imperium habet, profiſciſcatur: quem locũ, Cuiacius ad libros quæſtionum Papiniani ſic interpretatur, vt Proconſules poſſint Legatis cognitionem, ſeu exercitionem publici iudicij delegare, non poſſint executionem, ſeu merum Imperium. Itaque exercitionem publici iudicij aliam facit à mero Imperio. Exercitionem publici iudicij eſſe dicit quæſtionem publici iudicij, cognitionem cuſtodiarum; quam habet ex mandato Proconſulis extraordinario legatus L. Solent. D. de offic. proconſ. non habet verò merum imperium: quia, neque apud eum inchoari, neque terminari accuſatio poteſt. Extrema non habet, quæ ſunt meri Imperij, cognitionem intermediam habet. Sed vbi cognouerit, remittit reum ad Proconſulem, d. l. Solent: vbi dum Vlpianus ait, mandatum eſſe extraordinarium, interpretandum dicit eſſe illegitimũ quia cognitio publici iudicij eſt ei mandata à lege. Ergo, dum eam mandat, aberrat

à iure ,& facit illegitimum. Quod ſignificat etiam Papinianus in d. l. 1. dum ait errare magiſtratus. Hanc interpretationẽ ego nullo modo probare poſſum. Veriſſimum eſt enim quod alij rectè in d. l. tradiderunt, Prætores olim ſortitos iuriſdictionem: & alijs vrbanam, alijs peregrinam, alijs prouincialem obtigiſſe. Rurſus, alijs iuris dicundi de priuatis, ciuilibuſque negotijs, alijs de criminibus, & rebus capitalibus: quot enim publica iudicia conſtituta ſunt à Luc. Cornelio Sylla, tot Prætores adiecti ſunt. l. 2. §. Deinde Cornelius Sylla D. de origine iuris. Prætor igitur, aut alius Magiſtratus, cui obtigerat exercitio publici iudicij, id eſt quæſtio, cognitio, perſecutio, executio, merum denique imperium; non poterat eam demandare: errabat, ſi demandaret, adeò vt ſi cognitionem cuſtodiarum Legatis demandaſſet, extraordinarium eſſet mandatum: hodie tamen ordinarium eſt. l. vnic. C. de offic. proconſ. Sed non errabat, ſi cùm profiſciſceretur, cùm abeſſe inciperet, mandaret: tunc tantùm merum imperium mandare poterat. *cùm aliàs*, (inquit Papinianus in ea l. 1.) *iuriſdictio etiam à præſente mãdetur.* Iuriſdictionem igitur poteſt demandare præſens ma-

giſtratus; merum Imperium non niſi abſens. Et verò ſolebant magiſtratus exeuntes prouincia, præponere aliquem prouinciæ in aduentum ſucceſſoris, vt Quæſtorem ſuum ſe præpoſuiſſe ſcribit Cicero lib. 2. epiſtolarum. Eodem modo olim profectis domo Regibus, ne vrbs ſine imperio foret, in tempus deligebatur, qui ius redderet, ac ſubitis mederetur: vt Tacitus auctor eſt Annal. lib. 6. Certè tunc præſens magiſtratus mandare merum imperium potuiſſet, cùm hæc ei facultas à lege, vel à principe data fuiſſet: vt apud Hectorem Boëthium lib. 3. hiſtoriæ Scotorum legimus, Veſpaſianum deuictis Britannis, iura, & parternas leges ademiſſe, Romanas introduxiſſe: iuſſiſſe, vt penes ſolum Aulum Plancium, & quos ipſe ad hoc deligeret, ſanguinis foret poteſtas. Sed quæſtio hîc non minima ſuboritur: an, quando merum imperium magiſtratus habet, vt magiſtratus, mandare illud poſſit. Veluti olim apud Heduos in Gallia, ſcribit Cæſar lib. 1. comment. de bello Gallico, Vergobretos magiſtratus, qui creabantur annui, poteſtatem vitæ, & necis habuiſſe. Et tandem etiã in Romano imperio inualuiſſe, vt leges vel conſtitutiones Principum, quæ de ſin-

gulis Proconſulibus, aut Præſidibus antiquitùs fiebant, poſtea de omnibus perpetuò ſancirentur; rectè Antonius Vacca ſcripſit ad l. Illicitas. §. qui vniuerſas D. de offic. præſidis. Nam quemadmodum ordinaria poteſtas tribuebatur magiſtratib⁹, mandatis Principum, & codicillis; ita etiã placuit merum imperium, quaſi eſſet ordinaria poteſtas, Præſidi prouinciæ, præfecto vrbi, vel alteri magiſtratui cõmitti. Caſſiodorus lib. 7. Variarum epiſt. 1. *Vide quo iudicio fueris euectus, quando alijs vigorem faſcium videamus eſſe creditum, tibi autem ab ipſis legibus ferrum conſtet eſſe porrectum.* & lib. 1. epiſt 44. *Et quamquam Præfecturæ vrbanæ hanc poteſtatem dederunt leges, nos tamen ſpecialiter delegauimus.* Hodie etiam in omnibus fere regnis merum imperiũ magiſtratibus competere, nemo non videt. Quæſtio igitur eſt, an magiſtratus, qui quaſi iure ſui magiſtratûs merum imperium habet, illud demandare poſſit. Et rationibus iuris conuenire videtur, vt poſſit. Nam hoc imperium ampliùs merum habendum non eſt, ſed mixtum: quoniam cum iuriſdictione magiſtratûs coniunctum eſt. Vnde, vt mixtum imperium demãdatur, ita & hoc mandari poterit. Nec videtur vlla poſſe

reddi hoc caſu ratio differentiæ, inter merum, & mixtum imperium. Quemadmodum enim, vbi lex, vel Princeps dat iuriſdictionem magiſtratui, non eſt neceſſe nominatim deferri iuriſdictionem, vel ſingulas partes iuriſdictionis: ſed magiſtratus datur ipſo nomine ſolo, puta Præturæ, Proconſulatûs, Præfecturæ, quo conceſſo, per conſequens omnia, quæ ſunt propria iuriſdictionis eius magiſtratûs, conceſſa intelliguntur: ita etiam, cùm ſemel perpetuò imperium merum attributum eſt iuriſdictioni alicuius magiſtratûs; conceſſo magiſtratu, & merum imperium tranſit cum reliqua iuriſdictione. Ego tamen in alia ſententia ſum; & exiſtimo magiſtratus, qui hodie de rebus capitalibus cognoſcunt, non poſſe mandare merum imperium. Nam falſum eſt, merum imperium hodie ampliùs merum non eſſe, ſed eſſe mixtum; mixto imperio, quod habent hodie magiſtratus, ineſſe omnia, quæ olim erant meri imperij; quæſtionem publici iudicij, hodie propriè Iuriſdictionem appellari: quod Cuiacius ſcripſit ad l. 2. §. deinde cùm ærarium D. de Origine iuris. Quoniam mixtum imperium eſt, quod iuriſdictioni ineſt, poteſtas cui ineſt iuriſ-

dictio: mero autem imperio non ineſt iuriſdictio. Omnis enim iuriſdictio, vel ciuilis, vel criminalis eſt. Ciuilis iuriſdictio, quæ propriè iuriſdictio dicitur, non ineſt mero imperio. Criminalis iuriſdictio, merum imperium eſt. Quamuis enim, qui de criminibus cognoſcit, ius dicere videatur in eos qui crimina commiſerunt. Suetonius in Auguſto: *Ius dixit, non diligentiâ modò ſummâ, ſed & lenitate: Si quidem manifeſti parricidij reum* &c. Tamen non tam ius dicit, quàm pro imperio agit, punit, coercet, animaduertit. Inde factum eſt, vt iuriſdictio criminalis merum imperium diceretur; & à iuriſdictione ſeiungeretur quæ iure magiſtratûs competit. Non igitur poteſt dici ineſſe imperio, quæ ipſa imperiũ eſt. Et imperium eſt eiuſmodi, quod non explicandæ, vel vindicandæ, vel tuendæ iuriſdictionis gratiâ exercetur, ſed per ſe ſtat, & in vindicandis delictis totum conſiſtit. Mixtum igitur non eſt. Deinde Papinianus in d.l.1. de officio eius cui mand. eſt iuriſd. ita diſtinguit. Quæ magiſtratibus competunt; aut iure magiſtratûs competunt, id eſt tacito iure, ſiue more maiorum, & hæc mandari poſſunt: aut eis conceſſa ſunt. Lege aliqua ſpecialiter, ſenatuſcon-

ſulto, vel conſtitutione Principis, & hæc mandari non poſſunt. Nihil autem intereſt an lex ſingulis magiſtratibus, qui creantur, merum imperium ad tēpus, vel in perpetuum tribuat, an verò in perpetuum omnibus, qui hoc, vel illo magiſtratu donabuntur. Semper enim verum erit, lege tributum imperium, non more maiorum, non iure magiſtratûs competere. Itaquè demandari non poterit. Et idem arbitror, vbi proponeretur inueterato more & merum imperium alicui magiſtratui competere. Non enim inde ſequèretur non eſſe lege datum. Quia poteſt aliquid ſimul & moribus competere, & lege dari. l. 25. Magiſtratus. D. ad municipalem. Et verò neceſſe eſt primò lege, vel conſtitutione tributum: quoniam, vt ſuprà dixi, penes eum reſidet, penes quem reipublicæ ſūma eſt. Aut ſi iure ſuo ſine lege, vel conſtitutione magiſtratus merum imperium haberet, partem aliquam imperij ſupremi haberet. Nam, vt ſuprà docui cap. 4. huius libri ius animaduertendi, & pœnas irrogandi, inter iura ſupremæ poteſtatis annumeratur. Ex quibus cōcludendum eſt, Magiſtratus quibus merum imperium quaſi ordinaria poteſtas ſit, committitur, non tamen illud

demandare poſſe.

De Imperio Mixto.

CAPVT. VIII.

Interpretatio l. 3. D. de Iuriſdictione varia. Verba eius l. non immutanda. Omne Magiſtratuum imperium duplex, non triplex contra Goueanum. Eſſe quædam magis imperij, quàm iuriſdictionis: alia magis iuriſdictionis, quàm imperij. Cur in ea l. dictum ſit. Mixtum imperium eſſe, quod in danda bonorum poſſione conſiſtit.

DISPVTATIO de mixto Imperio pendet potiſſimùm ex interpretatione verborum l. 3. D. de Iuriſdict. *Mixtum eſt imperiũ* (inquit Vlpianus) *Cui etiam iuriſdictio ineſt, quod in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit. Iuriſdictio eſt etiam iudicis dandi licentia.* Hæc verba mirum in modum conterquent, immutant, variant interpretes, dum quiſque eorum ad ſenſum ſuum illa deflectere ſtudet. Haloander ita legit. *Quod in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit, vt iuriſdictio, iudicis dandi licentia.* Alciatus cap. 8. lib. 2. Paradoxorum, nihil immutat, ſed verbum (*licentia*) in ſexto caſu legit ſine præpoſi-

tione (*in*) per eclipſim. Corraſius cap. 17. lib. 3. Miſcellaneorum, addit præpoſitionem (*in*) & coniunctionem (*&*) & legit: *iuriſdictio eſt, & in iudicis dandi licentia.* Goueanus legit. *Quod in danda bonorum poſſeßione conſiſtit, iuriſdictio eſt. Iuriſdictio eſt etiam iudicis dandi licentia.* Robertus cap. 22. lib. 4. Sentent. *Quod in danda bonorum poſſeßione conſiſtit, iuriſdictio eſt, iudices etiam dandi licentia.* Antonius Faber lib. 4. Coniecturarum cap. 4. probabilius eſſe putat, erratum eſſe in illis verbis, *quod in danda bonorum poſſeßione conſiſtit:* & legendū (*quæ*) pro (*quod*) nato errore ex vtriuſque ſyllabæ, & notæ ſimilitudine, & affinitate. Ego, cur immutaretur vetus lectio, nullam rationem fuiſſe dico. Omne enim magiſtratuum imperium, vel in coërcitione, & animaduerſione, vel in iure dicendo poſitum eſt, vt rectiſſimè Goueanus conſtituit. Illud, in duo genera diſcedit, in grauiorē animaduerſionem, quæ merum imperium vocatur, & in leuiorem, quæ mixti imperij eſt. Et mixtum imperium non ſolùm in hac modica caſtigatione, & coërcitione, verùm etiam & in iure dicendo conſiſtit. Leuiorem illam caſtigationem magiſtratus, vel ampliorem, vel minorē habet, prout

maiores

maior eſt, vel minor magiſtratûs poteſtas. Vt ecce, omnes maiores magiſtratus populi Romani ex lege 12. tabul. ius habent multæ dicendæ, vinculis, verberibus coërcendi, vt docet Cicero lib. 3. de legibus. Attamen quoſdam potuiſſe grauiorem multam dicere, aut pœnã irrogare, quàm alios, ex illo loco Taciti, quem ſuprà cap. 5. citaui 13. Annalium manifeſtum eſt. *Cohibita arctiùs Aedilium poteſtas, ſtatutúmque, quantum curules, quantum plebeij pignoris caperent, vel pœnæ irrogarent.* Fuerunt etiam quidam magiſtratus, qui non habuerunt ius multæ dicendæ. l. 2. & 3. C. de modo multarum l. 5. C. de defenſ. ciuitatum. Imperium autem, quod in iure dicendo verſatur, illud eſt, quo vtitur magiſtratus, cùm quid decernit, iubet, vetat, aut imperat. Nec tamen conſtituendum eſt cum Goueano triplex imperium, imperium merum, imperium miſtum, & imperium quod eſt iuriſdictio: quoniam, cùm quid iubet, decernit, vetat, imperat Magiſtratus, pro imperio id agit, quod iuriſdictioni cohæret: vt, cùm iubet cauere ſtipulatione prætoria, aut in poſſeſſionem mittit, l. 4. D. de iuriſdict. Quamobrem duplex tantùm imperium conſtituẽdum eſt, merum

& mixtum. Mixtum eſt, quoties vtitur poteſtate, & imperio ſuo magiſtratus, ſiue eo vtatur coërcendo leuiora crimina vinculis, aut verberibus, ſiue defendendo iuriſdictionem ſuam pœnali iudicio, vel multam dicendo, aut dando bonorum poſſeſſionem, in poſſeſſionem mittendo, & in ſumma, aliquid iubendo, vel imperando. Ea omnia, quæ ſunt huius imperij, non omnes habent magiſtratus. Dare bonorum poſſeſſionem, Prætorium eſt, vt ſcribit Cicero in Prætura vrbana. Præſes quoque in prouincia dat bonorũ poſſeſſionẽ. Duumuiri, magiſtratus municipales dare non poſſunt, quia non habent ea, quæ ſunt magis imperij, quàm iuriſdictionis. l. ea quæ. D. ad municip. id eſt, ea in quibus magis elucet, & eminet imperium, quàm iuriſdictio. Sunt enim quædam, in quibus, quaſi occultatur imperiũ; eminet iuriſdictio: vt, cùm Prætor de plano cognoſcit, non pro tribunali: l. Nec quicquam. §. vbi decretum, D. de offic. proconſ. cùm voluntariam iuriſdictionẽ exercet; vt quando apud eum manumittuntur tam liberi, quàm ſerui, & adoptiones fiunt. l. 2. D. de offic. proconſ. Sunt verò alia, in quibus magis, eminet imperium; veluti, cùm Præ-

tor bonorum poſſeſſionem dat, cùm in integrum reſtituit, cùm in poſſeſſionem mittit inuitis dominis. Hæc magis imperij, quam iuriſdictionis eſſe dicuntur. Illa magis iuriſdictionis, quàm imperij. Et exemplũ poſuit Vlpianus mixti imperij in danda bonorum poſſeſſione, non quia in alijs non conſiſtat mixtum imperium, ſed quia in ea potiſſimùm auctoritatem, dignitatem, imperium magiſtratûs conſpicim⁹. Si quidem, cùm dat Prætor bonorum poſſeſſionem, effectu dominum eum facit, cui bonorum poſſeſſionem dat: & cùm emancipatis, præteritis, & cognatis dat, eos dominos, aut ſaltem quaſi dominos efficit, quos ius ignorabat, qui iure admitti non poterant. §. quos autem. de bonorum poſſeſ. in inſtitut. Denique, cùm dat bonorum poſſeſſionem, principaliter id exequitur, non in conſequentiam. In conſequentiam, non principaliter, in poſſeſſionem mittit: vel quia cautum non eſt, de damno infecto, vel rei ſeruandæ, aut legatorum ſeruandorum: vel ex alia cauſa, l. 3. §. fin. D. de adquir. poſſeſſ. Non improbo tamen, quod Cuiacius ſcripſit, in d. l. 3. de iuriſdict. vtrumque imperium non exactè, ſed τυπωδῶς per exempla definiri.

De Iuriſdictione.

Cap. IX.

Interpretatio poſteriorum verborum, l. 3. de Iuriſd. noua. Variè in iure verbum Iuriſdictionis ſumi.

SEd controuerſia potiſſimũ verſatur in his verbis d. l. 3. *Iuriſdictio eſt etiam iudicis dandi licentia:* quæ, vt dixi in ſuperiori capite, immutant interpretes, dum non eorum intellectum aſſequuntur; aut ad ſenſum quiſque ſuum illa deflectit. Recentiores, qui nihil immutant; & quidam etiam ex his qui immutant, dicunt in ea l. particulam (etiam) habere vim ἀναφορητικὴν ac ſi diceret, ſicut bonorum poſſeſſionis, ita iudicis datio, mixti imperij, & iuriſdictionis partes ſunt, & ſpecies. Sed ego aliam eſſe eorum verborum mentem exiſtimo: quæ, vt magis eluceat, pauca de iuriſdictionis verbo dicenda ſunt. Iuriſdictionẽ variè in iure accipi conſtat. Aliquando latè accipitur, vt non comprehendat ſolùm ea, quæ ſunt iuriſdictionis, ſed etiam ea quæ ſunt imperij; & quæ neque ſunt imperij, neque iuriſdictionis, ſed iuris, & legis,

id eſt quæ lege, ſenatuſconſulto, vel conſtitutione ſpecialiter deferũtur. Sic accipitur iuriſdictio in rubrica tituli de iuriſdictione. Nam de his omnibus in eo titulo agitur. Sic accipitur etiam in l. 1. §. 1. qui mandatam. D. de offic. eius cui mand. eſt iuriſdict. ibi iuriſdictionem ſuam mandant, id eſt imperium. Et in §. penult. Inſtit. de attiliano tutore dicitur, hoc iure nos vti, vt Romæ quidem Præfectus vrbi, vel Prætor ſecundũ ſuam iuriſdictionem tutores det: cùm tamen tutoris datio, neque imperij, neque iuriſdictionis eſſe dicatur. l. muto, §. tutoris datio. D. de tutelis: quoniam nihil pro imperio magiſtratus agit, cùm tutores dat, nec proprio iure innato magiſtratui, competit magiſtratibus tutoris datio. Interdum iuriſdictio ſpecialiter accipitur diſtincta ab imperio, & his quæ legis ſunt; pro iuriſdictione quæ in cauſis ciuilib⁹ verſatur, & magiſtratui proprio iure competit. Hoc ſenſu accipitur in d. l. 1. §. fin. de offic. eius. ibi. *Verius eſt enim, more maiorum iuriſdictionem quidem transferri: ſed merum imperium, quod Lege datur, non poſſe tranſire*. & in l. obſeruare §. fin. D. de offic. proconſ. & alibi ſæpiſſime. Frequentiùs enim in iure iuriſdictio pro ciuili iu-

riſdictione ſumitur: quæ criminalis eſt, imperium appellatur: vel quia iuriſdictio criminalis non iure magiſtratûs competit ſed lege, vel ſenatuſconſulto defertur: vel etiam, quòd, vt in cap. 5. docui, pro imperio magis agit, qui punit, coërcet, animaduertit, quàm ius dicit. Hoc modo Iuriſdictio accepta comprehendit non ſolùm & cognitionem, ſed etiam facultatem, ſeu licentiam iudicis dandi: quæ duæ ſunt partes ciuilis iuriſdictionis. Vel enim Iuriſdictio in decernendo & cognoſcendo, vel in iudicum datione conſiſtit. Siue autem magiſtratus decernat, & cognoſcat, ſiue iudices det, pro iuriſdictione ſua agit, & imperio, quod iuriſdictioni cohæret. Et hoc arbitror ſignificare voluiſſe Vlpianum in d. l. 3. his verbis, *Iuriſdictio eſt etiam iudicis dandi licentia*, quaſi diceret, non ſolum iuriſdictio eſt cùm Prætor cognoſcit, & decernit, vt cùm dat bonorũ poſſeſſionem, verùm etiam, & cùm iudices dat. Vtrunque iuriſdictionis magiſtratus eſt, & conſequenter imperij, quòd iuriſdictioni cohæret. Nam iuriſdictio ſemper accipienda eſt coniuncta cum imperio. Itaque tam bonorum poſſeſſionis dationem, quàm facultatem iudicis dandi, mixti imperij

eſſe dicendum eſt, vt rectiſſimè Cuiacius cenſuit. Nihil eſt enim vnius, quod non ſit alterius. Verùm ſemper magis vnius, quàm alterius. Iuriſdictio quoque interdum accipitur pro ſola facultate, & licentia iudicis dandi: vt in l. Notionem, D. de verb. ſignificat. & in l. Ait Prætor. D. de re Iudic. Notio genus eſſe dicitur, cuius duæ ſint ſpecies, iuriſdictio, & cognitio. Qui iuriſdictionem habet, habet & notionem. Si quidem Prætores, & alij magiſtratus de quibus cauſis iudices dant, de his etiam poſſunt cognoſcere. Et verò etiam in quibuſdam cauſis tenentur ipſi cognoſcere, nec iudices dare poſſunt: veluti in quæſtione ſtatus. l. placet. C. de pedan. iudicib. in fideicommiſſis. Vlpianus in fragment. tit. de fideicom. cùm profeſſores liberalium artium, & ſtudiorum mercedem petunt. l. 1. D. de extraord. cognit. At qui notionem habet, non propterea habet iuriſdictionem; veluti iudex datus, pedaneus, ſpecialis cognitor, recuperator, l. fin. C. de iudic. l. fin. C. de pedan. iudicibus. Vnde in iure cōſtituitur differētia inter ius dicere & iudicare; inter ius dicentem, & iudicem. Contrà Iuriſdictio aliquando accipitur pro ſola cognitione, vt in lege Manilia de

limitibus agrorum. *Quicunque magiſtratus iuri dicundo præerit, eius magiſtratus de ea re iuriſdictio, iudicis, recuperatorúmve datio, & addictio eſto*: & in lege Thoria, *De ea re iuriſdictio iudici, recuperatorúmve datio eſto.*

De conuentionibus publicis, vt diſtinguendæ ſint à priuatis.

CAPVT X.

Diſputatio de conuentionibus publicis cur penè omiſſa in iure. Vlpiani verba in l. Conuentionum. D. de pactis de publica conuentione diſcuſſa. Tria genera fœderum ex Liuio. Quænam conuentiones publicæ habendæ ſunt. Quibus priuatis conuentionibus Principes adſtringantur.

EADEM dubitatio rectè fit de conuentionibus publicis, quæ fit de iure publico. Cur propoſitis in l. Conuentionum, D. de pactis. tribus conuentionum ſpeciebus, quarum aliæ ex publica cauſa fierent, aliæ ex priuata, & priuata aut legitima, aut iuriſgentium: & deinde publicæ conuentionis definitione, aut magis ſpecie vna, nihil amplius de publicis conuentionibus, vel in eo titulo de pactis, vel in alijs iuris partibus dictum reperiatur. Quæ dubitatio eodem quidem

modo remoueri poteſt, quo illa de iure publico ante cap. 1. lib. 1. ſublata fuit. Omiſſam eſſe à Iuriſcõſultis diſputationem de conuentionibus publicis, quòd de his reſpondere non ſolerent. Sed rectiùs, vt opinor, dicetur ideo omiſſam, quòd nihil ferè ſeparati iuris habeant publicæ conuentiones à priuatis: ſed eâdem norma, & regula æquitatis dimenſæ ſint. *Publicam conuentionem eſſe*, dicit Vlpianus in d. l. Conuentionum, *quæ fit per pacem, quotiens inter ſe duces belli quædam paciſcuntur.* Per pacem, id eſt pacis cauſâ. Pacis cauſâ vel ſtabiliendæ, vel conſeruandæ, quæ fit non ſolùm per duces belli, verùm etiam per Principem, aut eos qui ſummam rerum in republica tenẽt. Interdum etiam in bello quædam inter duces belli conueniunt: veluti vt terram colentibus pax ſit, armatis bellum: quod conueniſſe inter Cyrum, & Aſſyrios, ſcribit Xenophon lib. 5. Κύροπαιδείας. Fiunt etiam publicæ conuentiones, belli ſimul inferendi cauſâ, aut mutui ferendi auxilij. Rectè enim apud Titum Liuium lib. 34. Menippus, Antiochi Regis Orator dicebat, eſſe tria genera fœderum, quibus inter ſe paciſcuntur amicitias, ciuitates & Reges: vnum, cùm bello victis dicerentur

leges: alterum, cum pares bello æquo, fœdere in pacem, atque amicitiam venirent: tertium, cùm qui hoſtes nunquam fuerunt ad amicitiam ſociali fœdere inter ſe coniungendam coëunt: quamquam prioris generis fœdus rectiùs dixeris legem, aut imperium ſuperioris, quàm fœdus, & conuentionem: quoniam in eo alter leges dat, alter accipit. Illud potiùs prioris generis conſtituerem, cùm iniquo fœdere in pacem, atque amicitiam ventum eſt: veluti, ſi fœdere comprehenſum ſit, vt vnus populus alterius populi maieſtatem comiter obſeruaret. Hoc enim adijcitur, vt intelligatur alterum populum ſuperiorem eſſe, non vt intelligatur alterum non eſſe liberum: l. Non dubito. D. de captiuis. Ex quibus manifeſtum eſt, & ex his, quæ infrà dicemus, manifeſtius erit, Vlpianum in d. l. Conuentionum. magis vnam ſpeciem publici pacti, quàm naturam, & diuerſas ſpecies publicarum conuentionũ, eſſe complexum. Non ſunt autem publicæ conuentiones dicendæ, quæcunque ab his contrahuntur, qui rebus publicis præſunt: ſed magis illæ tantùm, quæ ſtatum rerum publicarum reſpiciunt. Vt Ius publicum eſſe dicimus, quod ad ſtatum rei-

publicæ ſpectat: ſiç etiam conuentio publica definienda eſt, quæ de rebus initur ad rempublicam ſpectantibus. Si quid igitur extra eas res Princeps pepigerit, aut contraxerit quocunque contractûs genere, vt priuatus obligabitur; nec illa conuentio publica, ſed priuata habenda erit. Obligabitur verò non naturali tantùm, ſed etiam ciuili ratione. Nam & ſi legibus ciuilibus Princeps ſolutus ſit, non minùs tamen contrahendo, quàm adeundo hereditatem, ſe illis ſubijcit, & communi iure vtitur l. 6. & 7. C. qui teſtam. facere poſſunt. l. Cæſar. D. de publicanis. Alioquin non eſſent paria, & æqua iura contrahentium, cùm Princeps contraheret, quæ ſemper inter contrahentes paria eſſe debent. l. fin, C. de fructib. & litium expenſis. Quod ad eo verum eſt, vt frequentiùs probatum ſit, Principē non poſſe, etiam de plena, & abſoluta poteſtate, quam vocant, reuocare contractum à ſe factum, quamuis is meram tantùm liberalitatem, & munificentiam contineret: Ludouic. Romanus conſilio 436. & Alexander conſilio 134. & 138. cuius doctrinæ non contemnendas interpretes rationes afferunt. Dicunt etiam obligationem in ſucceſſorem regni tranſire,

ſi nomine dignitatis contractus initus fuerit: Baldus, & Panormitanus in cap. 1. de probat. ext. Sed adhibendum temperamentum exiſtimo, ex diſtinctione, quam poſui ſuprà initio cap. 14. lib 1. deſumptũ. Etiam & hoc adhibendum eſt, vt quæ diximus locum habeant, his caſibus, quibus Princeps alienare poteſt: illis verò quibus non poteſt, reuocare poterit contractum à ſe factum, nec contractus ſucceſſores obligabit: Felinus in d. cap. 1. de probat. Et ſimiliter, cùm aliqua iuſta cauſa, quæ bonum publicum reſpicit, reuocare contractum ſuadet, reuocabit eum Princeps, dummodo ſine læſione eius qui cum eo bona fide contraxit id faciat: ſic accipio, quod interpretes de ea re in d. cap. 1. ſtatuunt. Quod ſi incautus, & non ſatis inſtructus Princeps quædam pepigerit, quæ ius regium apertè lædunt, reuocandus erit contractus, nec cogetur eum ſeruare Princeps: quemadmodum non tenetur ſtare iuramento in damnum iuris regij interpoſito: arg. cap. Sicut, 27. de iureiur. extra.

De conuentionibus publicis quæ fiunt inter Principem, & ſubditos.

Cap. XI.

Conuentionum publicarum diuiſio. Earum etiam ſubdiuiſio. Quæ fiunt cum nondum ſubditis non omnes publicæ habendæ. Quando adſtringatur Princeps conuentionibus publicis, inter ipſum & ſubditos, vel nondum ſubditos.

CONVENTIONES publicæ vel fiunt inter Principem,& ſubditos; vel inter Principem,& non ſubditos. Rurſus, quæ cũ ſubditis fiunt; vel antequam ſubditi ſint, proximè verò futuri ſunt, vel fore ſperantur; vel, cùm iam imperio Principis ſunt ſubditi. Quæ fiunt cum nondum ſubditis, nequaquam publicæ conuentiones habebũtur, ſi inter priuatos factæ ſint ambiendi & conſequendi imperij cauſâ: fiunt enim ab his, qui ius non habent diſponendi de regno, & imperio: ſed priuatæ eiuſmodi conuentiones habendæ ſunt. His ſtare non debet Princeps factus, ſi quæ promiſerit, præſtitura damnũ eſſent regno & imperio allatura: vt Valentinianus Imperator reſpondit Salluſtio, à quo magna pecunia adiutus fuerat, vt imperium aſſequeretur, & cui ob eam rem multa promiſerat, vt Cedrenus auctor eſt. Præſtitit quidẽ Leo, ſed occidit poſtea Aſparem, & Ardaburium. Nec tam incuſo Principes, quòd hu-

iuſmodi promiſſa ſæpe non ſeruent; quoniam qui ambiunt regna, & imperia nihil non promittunt; quàm quòd malis eiuſmodi artibus, ſibi regna, & principatus parent. Illæ conuentiones, publicæ habebũtur, quæ fiunt cum nondum ſubditis: quãdo in regnis electiuis agitur de Rege eligẽdo; & cum eo, quem eligere vult, populus quædam paciſcitur; leges dicit, ſecundum quas elect⁹ Princeps regnũ adminiſtret. In regnis, quæ ſucceſſione deferuntur, huiuſmodi cõuentiones recipiẽdæ nõ ſunt. Neque enim ſubditi paciſci debent de regno cum Principe, qui iure hereditario, vel lege ad regnum vocatur. Si tamen quædam cõuenerint; & interſit aliqua ex cauſa populi ea ſeruari; ſeruare debet Princeps: dummodo iuri publico regni non aduerſentur, & regnum non lædant. Præclarè enim apud Dionyſium libro 11. C. Claudius ad Appium Claudium decemuirum ſic loquitur: φυλαττομένας μὲν, ἀνοσίους εἶναι νόμιζε, ὡς κατὰ πολιτῶν καὶ πατρίδος· καταλυομένας δ', εὐσεβεῖς. θεοὶ γὰρ ἐπὶ καλαῖς καὶ δικαίαις παραλαμβάνεσθαι φιλοῦσιν ὁμολογίαις, οὐκ ἐπ' αἰσχραῖς καὶ ἀδίκοις. Idem ius eſſe debet de his, quæ inter Principem, & ſubditos conuenerint: fides enim Principes aſtringit. Vbi malè quidam diſtingunt: cui-

nam data fuerit, an ſubdito, an verò non ſubdito. Nam etiam hoſti data, ſeruanda eſt, cap. Noli. 23. quæſt. 1. & cap. 9. Ioſue. Poſſunt in regno, quod ſucceſſione defertur, inter eos qui de regno contendunt, pactiones quædam iniri, quas populus, vel proceres, qui iure, aut more regni arbitri eius controuerſiæ ſunt, approbent. Has omnino ſeruandas eſſe certum eſt. Scribit Aimoinus cap. 54. lib. 3. de geſtis Francorũ: mortuo Chereberto Rege, fine virili prole, regnum inter fratres diuidendum fuiſſe. Cùm non ſatis de diuiſione inter fratres conueniret, placuiſſe, vt Reges fratres iureiurando inter ſe obligarentur, ſe non ingreſſuros Lutetiam, donec de ea hereditate ſtatutum fuiſſet, quæ cuique pars adiudicanda eſſet. Chilpericum autem Regem, cùm contra illud pactum, quod cum Francis inierat, Lutetiam ingreſſus eſſet, portionem eius ciuitatis, quæ eum contingere videbatur, iuſtè amiſiſſe. Erunt, qui in hoc genus publicarum conuentionum referent, quæ in generalibus conuentibus regni legitimè indictis conuenerint: Sed ea non tam pactiones, & conuentiones ſunt, quàm leges regni, quas Rex habito regni ſui publico Concilio condiderit.

De conuentionibus publicis, quæ fiunt de regnis, & regnorum ſucceßione.

Capvt XII.

Conuentiones publicæ quæ fiunt de regnis & regnorum ſucceßione, exigunt eorum quorum intereſt conſenſum, ſiue regnum ſucceßione, ſiue electione deferatur. Alioquin non valent. Exempla earum conuentionum in regnis electiuis, in regnis hereditarijs, & in matrimonijs Reginarum cum exteris Regibus, & Principibus, tam circa regni adminiſtrationem quam ſucceßionem.

VT non obſcurè ſuperiori capite demonſtratum eſt, pactiones, quæ de regnis, aut ſucceſſione regnorum fiunt, publicæ habendæ ſunt: quæ ita demum vim habebunt, ſi eas populi, aut procerum, quorum intereſt, conſenſus approbauerit. Vel enim regnum electione defertur, vel ſucceſſione. Si electione deferatur, clarum eſt non licere Principi aliquid de ſucceſſione regni ſtatuere, niſi conuocato, & indicto generali regni ſui conuentu, & omnibus quorum intereſt conſentientibus, aut ſaltem maiore parte. Idem etiam eſt ſi ſucceſſione ſi modo non iure hereditario,

ſed Lege

ſed lege, aut conſuetudine regni ſucceſſio habeatur. Quod ſi iure hereditario, & in alium quàm de ſtirpe ſua Princeps donatione, aut alio quouis genere contractus regnum ſuum conferre velit, conuentio improbanda erit. Et poterunt ſubditi irritum facere Principis cõtractum: vt quondam fecere Hiſpani, cùm Rex eorum Alphonſus, regnum ſuum in Carolum magnum donatione tranſtulit, ea lege, vt Arabes ex Hiſpania expelleret. Non enim regnum, quod iure hereditario defertur, per omnia patrimonium Principis cenſendum eſt. Non poteſt regnum, vel partem regni alienare Princeps: cap. Intellecto, de iureiurando. ext. Non poteſt etiam diſponere de regno in necem, & damnum ſubditorum. Sed nec obligatur eiuſmodi conuentione Princeps. Rectiſſimè enim noſtri definiunt Principem non teneri ex ſuo contractu, quando contractus ſubditis noceret: quoniam contractus non tenet inuitis ſubditis: Hoſtienſis in cap. Dilecti, de maiorit. & obed. ext. Panormit. in cap. Nouit. de iudic. ext. Exemplum in regnis electiuis, quo Rex cum ſubditis ſuis pactus eſt de regni ſucceſſione, nobis præbent hiſtoriæ Polonicæ. Scribit Cromerus

lib. 13. rerum Polonic. Ludouicum Hungarorum, & Polonorum Regem conueniſſe cum Polonis, vt binos tantùm groſſos quotannis deinceps in iugera penderent, quibus Regem agnoſcerent: ab reliquis penſionibus, & oneribus, quæ Regibus, ac Ducibus antiquitùs debebantur, & omnes nobiles, & alij ſubditi perpetuam vacationem, & immunitatem haberent, præterquam, ſi Rex nouam arcem conderet, aut veterem tempore belli reficeret. Deinde, ne Rex magiſtratum ſiue honorem vllum perpetuum ſupprimeret, néve externo cuiquam conferret; ac ne præfecturam etiam arcis cuiuſquam, aut oppidi iuriſdictionem adiunctam habentis: imò ne indigenæ quidem illuſtri ducum genere orto. Et hæc omnia pacti ſunt ea lege, vt alterutram ex filiabus ſuis regnare deinceps apud ſe Poloni iuſſuros ſe eſſe reciperent. In regnis hereditarijs multa inter diſceptantes de regno conuenire ſolent. Veluti vt vnus quandiu vixerit regnet; eo mortuo, alteri regnum deferatur. Quod conuenit in Scotia inter Grimum, & Malcolmum: Boëthius lib. 11. hiſtor. Scotorum: in Anglia, inter Guilielmum Ruſum Regem Angliæ, & Robertum eius fratrem

Ducem Normaniæ: & inter eundem Robertum, & Henricum 1. Polydorus Virgilius libro 10. 11. & 12. hiſtor. Angl. In regno Nauarræ inter Ioannem Aragonum Regem, & Gaſtonem Comitem Foxium, vt ſcribit Marineus Siculus lib. 17. de rebus Hiſpaniæ. Veluti etiam inter duos duorum regnorum Reges, vter ſupereſſet, vtrique regno præeſſet. Quod inter Magnum, Olani ſancti Regis Daniæ filium, electum Regem Noruagiæ, & Knutonem filium Kanuti Regem Daniæ conuenit: Albertus Krantzius cap. 30. lib. 4. Daniæ & cap. 11. lib. 5. Noruagiæ. Atque, vt deficientibus ex vna domo maſculis heredibus, altera regnum acciperet. Quod inter Bohemiæ, & Auſtriæ Principes conueniſſe, firmato procerum conſenſu, & imperiali auctoritate eiuſmodi fœdere, ſcribit Æneas Syluius cap. 55. hiſtor. Bohemicæ. Vbi obiter notandum eſt, in regnis quæ ſuperiorem alium Regem, vel populum obſeruant, neceſſarium eſſe, vt huiuſmodi conuentionibus accedat conſenſus ſuperioris. Idem etiam conuenit inter Duces Magnopolenſes & Stargardiæ: vt refert Albertus Krantzius cap. fin. lib. 11. Vandaliæ. Solent quoque in pactis matrimonia-

libus, quæ vocant, fœminarum, ad quas ſucceſſione regnum peruenit, vel ſpes eſt aliquando peruenturum, cum exteris Regibus, & Principibus, multa, & circa regni ſucceſſionem, & circa regni adminiſtrationem in conuentionem deduci. Circa regni ſucceſſionem, veluti, vt hic, vel ille ex liberis ſuccedat, filius primogenitus, aut ſecundogenitus, filia primogenita, aut ſecundogenita: & reperio bis conueniſſe, vt filia ſecundogenita in regno ſuccederet, excluſa primogenita. Primùm in regno Nauarræ, in pactis matrimonialibus inter Petrum Regem Aragoniæ, & Mariam ſecundogenitam Regis Nauarræ. Deinde in Scotia, cùm filia ſecūdogenita Regis Scotiæ nupſit Franciſco 1. Duci Britanniæ: vt legi in Chronicis Britanniæ. Circa verò regni adminiſtrationē, vt regni procuratio ſolius Reginæ ſit: vt nomine regio maritus Reginæ abſtineat. Id conuenit in matrimonio Ioannæ Reginæ Neapolis, & Ludouici Tarentini Pincipis: & in matrimonio alterius Ioannæ Reginæ quoquæ Neapolis, cum Ioanne Narbonenſi, Comite Markiæ, regij Francici ſanguinis Principe, vt refert Colenuccius in hiſtoria Neapolitana. In Chronicis Hiſpaniæ Ioannes Vaſæus

ſcribit, Ranimirum monachum, Regem Aragoniæ, vnicam filiam ſuam dediſſe in vxorem Raymundo, Barcinonenſi Comiti, ea lege, vt quandiu viueret, Principem ſe, non Regem Aragonum appellaret. Quandoque etiam conuenit, vt mortua Regina, relictis liberis ex eo matrimonio, maritus regni procurationem quandiu vixerit habeat, vel non habeat: quod ſæpe cõueniſſe in regno Nauarreno certum eſt; & cauſam præbuit funeſto bello, quod geſſit Carolus Princeps Nauarræ aduerſus Ioannem Regem Aragonum eius patrem: patre dicente, quandiu viueret, ſe & Nauarræ Regis titulum ferre debere, & regnum Nauarrenum adminiſtrare: filio verò contrà adſerente, ex diſpoſitione matris, pactis etiam ſuper ea re initis; proprietatem, & dominium, & regni adminiſtrationem poſt pubertatis annos ad ſe ſpectare: Rodericus Santius cap. 37. partis 4. hiſtor. Hiſpanicæ: & Marineus Siculus lib. 13, de rebus Hiſpaniæ.

De conuentionibus publicis inter Principem, & non ſubditos.

CAPVT. XIII.

Veteres mores, & cantiones in icendis fœderibus. Ali-

quandoque fœdera contrahi in certum vel incertum tempus: aliquando in perpetuum. Plurimum intereſſe cum quo fœdera contracta fuerint, an cum Rege, an verò cum regno.

POSSVNT quidem pactiones de ſucceſſione regni iniri inter Principem, & alium Principem non ſibi ſubditum: ſed neceſſariam eſſe approbationem populi, vel procerum, quorum intereſt, dixi in ſuperiori capite. Quamobrem, quæ de pactis de ſucceſſione regni initis, dicenda erant, rectè in ſuperioribus capitibus tractata fuerunt. In hoc autem, de his pactionibus agemus, quæ inter Principem, & non ſubditos, vel Principes, vel populos fiunt cauſâ pacis, vel amicitiæ contrahendæ. Nam, arbitrium pacis, & belli, & icendorum fœderum, penes Principem eſt, qui ſummam reipublicæ tenet. Antiquitùs fœdera, poſtquam icta fuerant, ſolebant in columnis lapideis, vel æreis incidi, ne vlla iniuria temporum perirent: vt ex Thucydide lib. 5. Dionyſ. lib. 2. 3. & 4. colligitur. Et antequam in vſu eſſent æreæ columnæ, veriſimile eſt in quernis tabulis incidi ſolita: quia in his, priuſquam æreæ columnæ in vſu eſſent, incidebantur tam leges, quàm

ſacrorum ritus: vt ſcribit Dionyſ. lib. 3. Conueniebat etiam, quibuſnam in locis columnæ ponerentur: vt in pace Nicæa conueniſſe refert Thucydides lib. 5. vt columnæ ponerentur in Olympijs, Pythijs, Iſthmijs; & in vrbe Athenarum, in templo Mineruæ; in Sparta verò, in templo Apollinis Amyclæi. Romæ, fœdera icta, inciſa in æs dedicari ſolebant in Capitolio: Appianus lib. de bellis Syriacis. Sæpe etiam virginibus Veſtalibus adſeruanda dabantur: vt datum fuiſſe fœdus ictum inter Antonium, Cæſarem, & Pompeium refert Appianus lib. 5. de bello ciuili: & ictum inter Antonium & Cæſarem Dion. lib. 48. Iuramenta ſeruandorum fœderum nonnunquam quotannis veteres renouare ſolebant: & vt renouarentur legibus fœderis exprimebatur: Thucydides lib. 5. Commune etiam ſacrum faciebant, commune fanum, quo ſempiternum maneret fœdus: vt Tarquinium Regem feciſſe commune fanum Romanorum, Hernicorum, Latinorum, Volſcorum ſcribit Dionyſius lib. 4. Romani pacem dabant fœdere, pactione, vel ſponſione: Titus Liuius lib. 1. & lib. 9. Apud alios populos nonnulli reperti ſunt, qui quòd infidæ eſſe ſoleant paces

ictæ cum Regibus, paciſcebantur, vt ſi Princeps à fœdere diſcederet, ſubditi tamen eo nihilominus tenerentur: quod in fœdere icto inter Ericum Daniæ, Sueciæ, & Noruagiæ Regẽ, & Vladiſlaum Regem Polonorum conuenit, vt ſcribit Cromerus lib. 18. atque etiam, vt ſi Rex contra fœdus veniret, ſubditi ab eius imperio ſoluerentur: quæ conuentio improbanda eſt, vt rectè alijs antè viſum eſt. Aliquando fœdera contrahuntur in certum aliquod tempus, puta in quinquaginta, vel centum annos: quæ ſi belli remouendi cauſâ fiunt, ſpeciem habent induciarum. Aliquando in tempus incertum; veluti quoad Rex vixerit, aut in vitam Regis, & filij eius primogeniti: quod Almeno Arabs, Rex Toleti, pactus eſt cum Alphonſo 6. Rege Legionis, vt refert Rodericus Toletanus cap. 20. & 22. lib. 6. de rebus Hiſpaniæ. Aliquando verò nullo tempore expreſſo, in perpetuum. Omnibus autem his caſibus, plurimùm intereſt cum quo icta fuerint. Nam, ſi cum Rege tantùm, pro eo ſolùm tempore icta cenſebuntur, quo ipſe regnum adminiſtrabit: vnde eo mortuo expirant: ſic definiunt interpretes in d. cap. 1. de probat. ext. Ea ratione Fidenates,

mortuo Romulo, bellum Romanis infe-rentes dicebant; nullum ſibi eſſe cum Romanis publicum negotiũ, iam inde ex quo Romulus vita functus ſit, cum quo amicitiam iureiurando firmarant. Quod etiam Latini dicebant, Anco Martio regnante, cum Tullo ſe, non cum Romanis fœdus iciſſe: poſt cuius obitum nullo ſe ampliùs teneri pacis fœdere: Dionyſ. lib. 3. Et apud eundem lib. 4. Turnus Hordonius dicebat, fœdus Latinorum cũ Tarquinio Rege Romanorum ictum, irritum eſſe poſt illius obitum: quandoquidem non adſcriptum eſſet conditionibus, eandem gratiam deberi etiam Tarquinij poſteris. Et apud Liuium lib. 42. Perſeus Rex Macedonum reſpondit Legatis Romanorum: Fœdus cum patre ictum ad ſe nihil pertinere. Et Picti, & Scoti icta pace cum Placido legato Romano, eo mortuo dicebãt Britonibus, ſe non adſtringi fœdere cum legato Romano contracto, quod per eius mortem ſolutum eſſet: idque etiam poſtea dixerunt de fœdere cum Maximiano icto, vt refert Hector Boëthius lib. 7. hiſtor. Scot. Eodem modo Normani dicebant Francis, ſe cum Carolomano Rege, non cum alio fœdus pepigiſſe; quiſquis ille

eſſet, qui in regnum eius ſuccederet, eiuſdem numeri, & quantitatis pecuniam daret, ſi quietè ac pacificè imperium tenere vellet: Regino 2. Chronic. Quamobrem conſultiſſimum eſt fœdus cum Rege ſimul, & cum regno contrahere: aut ſaltem exprimi in fœdere, vt ad poſteros quoque fœdus tranſeat: quod in pace facta inter Philippum Macedonum Regem, & Athenienſes expreſſum fuit, quam impugnat Demoſthenes in oratione de falſâ Legatione. Tunc enim ictum fœdus etiam ad poſteros pertinebit.

Quando Principes, vel Populi fœderibus adſtringantur, commutato reipublicæ ſtatu.

Capvt XIIII.

Optimum eſſe fœdus ici cum gente, aut populo, quò perpetuum ſit. Tres differentiæ inter conuentiones publicas, & conuentiones priuatas.

Sed non ſatis eſt, quò fœdus perpetuum habeatur, illud ſimul cum Rege, & regno contrahi. Quid enim ſi poſt fœdus contractum commutatus fuerit reipublicæ ſtatus, & ex regio popularis factus ſit?

Nullus certè ampliùs ſupereſt Rex, non etiam regnum, cum quo fœdus contractum eſt. Finitum igitur fœdus eſſe conſequens omnino eſt. Nam & plerique fœdus ineunt libenter cum regnis, qui odio habent opimatum, & populares ſtatus. Refert Dionyſius lib. 5. & 8. Sabinos, & Hernicos negaſſe, poſt eiectum ex imperio Tarquinium, ſibi vllum cum populo Romano fœdus intercedere. Quò igitur fœdus perpetuum contrahatur, expedit illud non ſolùm cum Rege, & regno; ſed etiam cum populo, aut gente ici. Siquidem còmmutatâ reipublicæ formâ, idem populus remanet, & eadem gens. Eius generis eſt fœdus illud antiquum Francorum, & Scotorum, ictum temporibus Caroli magni, & Achaij Scotorum Regis, his verbis quæ referuntur ab Hectore Boëthio lib. 10. hiſtor. Scotorum. *Amicitiam, & confœderationem Francorum, Scotorúmque populis, & vtriuſque gentis poſteritati perpetuam, ſempiternamque fore.* Ex quibus poteſt elici diſferentia inter conuentiones publicas, & priuatas. Priuatæ conuentiones tranſeunt in heredes: quia nemo ſibi ſoli paciſcitur, ſed etiam heredibus ſuis l. ſi pactum D. de probat. Publicæ conuentiones non tran-

ſcunt in ſucceſſores, quoniam à Regibus factæ intelliguntur pro tempore admini-ſtrationis ſuæ: niſi cum regno ſimul, aut populo factæ fuerint. Huic differentię aliæ duæ addendæ ſunt. Prima eſt, hoc iure nos vti, vt publicæ conuentiones non piùs ratæ habeantur, quàm in Parlamento regni publicatæ, aut in Conuentu generali regni approbatæ fuerint; quod non eſt in priuatis; præterquam in his quas Princeps inierit, dum res fiſci ſui alienat quocunque alienationis genere. Has enim in parlamento regni publicari neceſſe eſt: quoniam & ſi res fiſci tanquam propriæ, & priuatæ Principis habeantur l. 2. §. hoc interdictum D. ne quid in loco publico, vel itinere fiat, publicam tamen cauſam, & vtilitatem habent: quia publicè expedit fiſcum eſſe locupletem. Altera eſt, priuatis conuentionibus neminem alteri nocere poſſe: adeo vt nec etiam Princeps poſſit priuata conuentione, aut alio modo res ſubditorum ſuorum ad alios transferre, vt frequentius probant noſtri in l. fin. C. Si contra ius, vel vtilitatem publicam: At publica conuentione id poteſt Princeps. Poteſt pro redimenda pace ab hoſtibus ſuis, damna illata ſubditis remittere. Poteſt res

ſubditorum ſuorum ob eandem cauſam capere, & hoſtibus concedere, cum quibus pacem init: Innocentius in cap. In noſtra de iniur. ext. Sed hoc poſtremum tamen, dummodo tantundem dominus refundat, ſi poſſit refundere, aut quatenus poteſt. Nam publicum ſemper priuato anteferendum eſt. Vix eſt tamen, vt publicum priuato aliquo modo ſatisfacere non poſſit.

De conuentionibus publicis, quas Duces belli ineunt.

Cap. XV.

Dux belli, non poteſt inire pacem cum hoſtibus, exploſa omni diſtinctione, aduerſus Duarenum. Niſi ei ſpecialiter mandatum fuerit. Romæ fœdus inire non licebat, niſi populus iuſſiſſet, & Senatus ratum habuiſſet. Manſitque aliquandiu illa Senatûs auctoritas temporibus Imperatorum. Idem iudicium de inducijs, quod de pace, niſi breues induciæ ſint.

Hîc primùm occurrit illa queſtio. An dux belli, ſeu exercitus, poteſtatem habeat pacem conſtituendi cum hoſtibus. De eo quæritur, qui alterius auſpicijs bellum gerit. Nam de Rege,

& Principe, qui arbitrium pacis, & belli habet, dubitatio nulla eſt. Et Bartolus cæteríque veteres negant, illum eam facultatem habere: quod veriſſimum eſt. Rationem deſumunt ex l. Mandato generali. D. de procurat. non contemnendam. Duarenus diſtinguit; an ducendi tantùm, & regendi exercitus cura ei demandata ſit; an verò plena, & libera rerum omnium poteſtas conceſſa: vt priore caſu non poſſit; altero poſſit: argum. l. procurator cui generaliter. D. de procurat. quam liberam poteſtatem creduntur, inquit, habere, qui Principis vicarij codicillis ab eo impetratis creati ſunt. Sed ego illam diſtinctionem non recipio, quia cum hæc imperij iure ſolus Princeps, aut Reſpublíca habeat; non tranſeunt in alios, niſi ſpecialiter conceſſa ſint. Vulgare enim eſt, ea quæ requirunt mandatum ſpeciale, nō tranſire in alios; quamuis plena, & libera eis rerum poteſtas conceſſa ſit. cap. qui ad agendum de procurat. in 6. Nec ſermone generali veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter conceſſurus: l. obligatione generali. D. de pignoribus. Quamobrem oportet, quò Dux belli pacem cum hoſtibus facere poſſit, vt id nomnatim ei tri-

butum ſit: quod in rogatione Trebonij Tribuni plebis, qua Craſſo Syriam, Pompeio Hiſpanias ad quinquennium aſſignabat, expreſſum fuiſſe legimus apud Dionē lib. 39. Cùm populo Romano, aut Senatui viſum erat, pacem cum hoſtibus faciendam eſſe; aut exterum populum, qui pacem rogauerat, in amicitiam recipiendum, nonnumquam Senatus, vel populus leges fœderis arbitrio Conſulum, qui plerumque duces belli erant, permittebat: vt in fœdere cum Volſcis, permiſſas fuiſſe Spurio Caſſio Conſuli, ſcribit Dionyſius lib. 8. in pace cum Veientibus Luc. Æmilio Conſuli, vt ſcribit idem auctor libro 9. quo etiam caſu ægrè ferebat Senatus, etſi Conſulibus permiſiſſet, leges fœderis ad Senatum non referri: & hac de cauſa Luc. Æmilio triūphus denegatus eſt, & odium concitatum eſt Senatûs in Caſſium. Niſi Populus iuſſiſſet, & auctoritas Patrum interceſſiſſet, fœdere Romani non obſtringebantur: de quo infinita ſunt loca apud Dionyſium, Polybium, Liuium; quæ quoniam Duarenus, & alij collegerunt, conſultò hîc prætermittam. Etiam imperio in vnum tranſlato, manſit aliquandiu auctoritas illa Senatûs. Nam ratam habebat pa-

cem, quam Imperatores inierant: vt Dion Caſſius in Traiano refert, Senatum ratam habuiſſe pacem, quam Trajanus Decebalo Regi Daciȩ dederat. Verùm poſtea antiquata eſt illa Senatûs auctoritas: & poteſtas pacis, & belli, tota Imperatorum eſſe cœpit: vt eſt in nouella 105. Apud Grȩcos, non aliud quoque ius obtinuit. Nam etiam apud illos induciæ, iniuſſu populi, fieri nō poterant: vt teſtis eſt Thucydides lib. 5. Et illa lex Platonis 12. de legibus valde notanda eſt. *ἐὰν δ᾽ ἤ τις ἰδίᾳ ποιῆται πρός τινας εἰρήνην ἢ πόλεμον ἄνευ τοῦ κοινοῦ θάνατος ἔστω ἡ τούτῳ ζημία.* Et apud Anglos ſcribit Froiſſartus capite 51. 11. Volum. Duces belli, cùm ex Anglia parati erant in Franciam ſoluere, iuramentum præſtare ſolitos, nullum ſe fœdus cum Francis contracturos, inſcio Rege, & arcano eius conſilio. Idem eſſe iudicium de inducijs, quod & de pace, locus ille Thucydidis lib. 5. indicat. Quæ etiam interpretum noſtrorum ſententia eſt, qui hac ſimilitudine vtuntur. Quemadmodū procurator, qui tranſigendi poteſtatem non habet, prorogare diem ſolutionis non poteſt. l. 122. Qui Romæ §. Callimachus. D. de verb. obligat. ita etiam non poteſt Dux belli, qui pacis contrahendæ arbitrium

non

non habet, inducias facere. Inuenio tamen Aetolos impetraſſe inducias ſex menſium à Cõſule Lucio Scipione, vt Legatos Romam mittere poſſent: Titus Liuius lib. 37. Et verius eſt, poſſe Duces belli concedere breues inducias; vel vt obſeſſi de deditione ſua conſilium capiant; vel vt ad Principem mittant: atque etiam breues inducias ad ſepeliendos occiſos.

Duos eſſe caſus Subſtitutionis. Vnum alterum continere.

Capvt XVI.

Duos eſſe caſus ſubſtitutionis. Omnem ſubſtitutionem interdum ſimplicem, interdum duplicem. Simplicem vtrunque caſum continere ex conſtitutione Diui Marci.

DVos eſſe tantùm caſus ſubſtitutionis certum eſt. Vnum delatæ hereditatis, & nondum adquiſitæ, qui vulgarem ſubſtitutionem continet, quæ adita hereditate expirat. l. Poſt aditam C. de impuber. Alterum adquiſitæ hæreditatis, qui caſus eſt pupillaris ſubſtitutionis. Nam pupillaris

ſubſtitutio vim ſolùm habet, ſi adita fuerit ex teſtamento patris hereditas l. 2. D. de vulg. & pupill. ſubſt. Alciatus in l. Centurio eodem tit. tertium conſtituit, poſt pubertatem; quem ad militarem, vel precariam, ſeu fideicommiſſariam ſubſtitutionem pertinere dicit: ſed, vt exiſtimo, malè: quia hic agimus de ſubſtitutione, non de fideicommiſſo, quod à ſubſtitutione ſolet ſeparari. Præterea nullam eſſe militarem ſubſtitutionem, nec eam quidem, quam vulgò Compendioſam vocant, aſſirmare auſim. Omnis Subſtitutio interdum ſimplex eſt, interdum duplex l. 1. eod. tit. Simplex eſt, quæ vnum tantùm caſum ſubſtitutionis vel vulgaris, vel pupillaris compræhendit. Duplex eſt, cùm vterque caſus ſimul exprimitur, quam vulgari pupillarem appellat Theophilus. Sed & ſimplex quoque vtrumque caſum aliquando continet, ex conſtitutione Diui Marci, qua inductum eſt, vt cùm pater impuberi filio in vnum caſum ſubſtituit; veluti in vulgarem, aut in pupillarem, in alterum quoque caſum ſubſtituiſſe intelligatur: l. Iam hoc iure eod. tit. Itáque expreſſa vulgaris continet tacitam pupillarem, expreſſa pupillaris tacitam vulgarem.

Hanc tamen rectiùs dixeris præſumptam, quàm tacitam: quoniam id tacitum dicimus, quod teſtatorem ex verbis, quibus vſus eſt, voluiſſe colligimus, manifeſtè tamen non declarauit: cuiuſmodi eſt ſubſtitutio; quæ proponitur in l. 24. Titius. & l. ſeq. D. hered.inſtit. At verò hæc ſubſtitutio poteſtate legis contra vim verborum, quibus teſtator vſus eſt, inducitur. Nam pupillaris ſubſtitutionis verba, vulgari repugnant. Sed præſumit lex teſtatorem, qui in vnum caſum prouidit, in alium quoque prouidere voluiſſe; oblitum autem, aut morte turbatum id non feciſſe. l. Hac conſultiſſima. verſic. at cùm humana. C. qui teſtam. facere poſſunt: l. Titius. §. Lucius. D. de liberis & poſth. quo etiam modo ius adcreſcendi, quaſi ſubſtitutio dicitur, id eſt præſumpta ſubſtitutio. l. 61. ſi Titio. & Mæuio. §. 1. de legat. 2.

Vtrum expreſſa pupillaris facta poſthumo, contineat tacitam vulgarem.

Cap. XVII.

Duo errores Goueani refutati. Primus ſubſtitutionem pupillarem factam poſthumo non continere tacitam vulgarem. Alter per tacitam vulgarem teſtatori non ſuccedi, ſed pupillo.

QVÆ in ſuperiori capite dicta ſunt, neceſſariò præmittenda fuerunt ad ſequentem de ſubſtitutionibus diſputationem. In hoc autem capite duos errores Goueani aperire decreui, qui vt in alijs iuris partibus, quas tractauit, ſic & in ſubſtitutionum materia, ſæpiſſimè lapſus eſt. Scribit ad l. iam hoc iure. D. de vulgari. expreſſam vulgarem poſthumo factam, ſi poſthumus natus non erit, continere tacitam pupillarem ex conſtitutione Diui Marci, niſi voluntas teſtatoris refragetur. Contrà verò expreſſam pupillarem ita factam; ſi poſthumus naſcetur, & intra pubertatem deceſſerit, non continere tacitã vulgarem, nec eſſe locum conſtitutioni Diui Marci: quoniam (inquit) ea conſtitutione, non teſtatori, ſed impuberi heres prouidetur. Et hoc eſſe dicit, quod in cauſa Curiana, cuius M. Tullius lib. 1. de Oratore, & in oratione pro Aulo Cæcina, & alibi meminit; Q. Mutius aduerſus Lucium Craſſum defendit, legitimis teſtatoris heredibus locum eſſe factum, non nato poſthumo, cui M. Curius ita fuerat ſubſtitutus, ſi poſthumus naſceretur, & intra pubertatem decederet. Idem etiam putat per tacitam, vel, vt ipſe appellat, intellectam

ex Diui Marci cõſtitutione ſubſtitutionem vulgarem, teſtatori non ſuccedi, ſed pupillo: eam ad bona duntaxat impuberis pertinere: vt ſiue heres ſit pupillus, ſiue non ſit, & intra pubertatem decedat, eum habeat heredem, quem pater ei teſtamento dedit. Nam (inquit) ſi per tacitam vulgarem teſtatori ſuccederetur, nullo colore Scæuola in cauſa Curiana defendiſſet, locum eſſe factum legitimis heredibus teſtatoris, non nato poſthumo. Hi duo errores Goueani nullo negotio refelluntur. Primùm enim certum eſt, pupillum heredem inſtitutum à patre poſſe patris hereditatem repudiare; aut quod effectu idem eſt, paterna hereditate abſtinere. Vnde ſi filius impubes heres à patre inſtitutus fuerit, & nullus alius; cui pater in ſecundum caſum ſubſtituerit: ſi dixerimus ex tacita vulgari patri non ſuccedi, conſequetur neceſſariò pupillare teſtamentum corruere, quia ex teſtamento patris non poteſt adiri patris hereditas. l. 2. verſic. planè, D. de vulg. l. 11. apud Iulianum. §. 1. & l. 27. ita tamen §. à patre. D. ad Trebell. quæ res impugnat vtilitatem pupilli, qui hoc modo heredem non habebit: l. 42. Iulianus. D. de adquir. hered. Deinde conſtitutione Diui

Marci in vtrumque caſum proſpectum dicitur, vt cùm pater impuberi filio in alterum caſum ſubſtituit, in vtrumque ſubſtituiſſe intelligatur. d. l. iam hoc iure: quæ conſtitutio hac coniectura voluntatis nititur, quòd vbi pater filio impuberi in primum caſum ſubſtituit, ſi heres non erit, præſumatur etiam & in alium caſum ſubſtituere voluiſſe, quo heres erit, & in pupillari ætate deceſſerit. Et ſimiliter vbi in ſecundum caſum ſubſtituit, præſumitur & in primum quoque ſubſtituere voluiſſe. Quod ſi locum habet, ſine dubio, vbi in ſecundum caſum filio impuberi ſubſtitutum eſt; cur non etiam admitti debeat, vbi in ſecundum caſum poſthumo ſubſtitutum eſt, ratio nulla reddi poteſt. Ferendus magis eſt error Politi, qui negauit expreſſam pupillarem vnquam continere tacitam vulgarem. Si enim continet, cùm filio impuberi facta eſt, & continebit, cùm poſthumo. Quod verò Scæuola in cauſa Curiana defendebat locum eſſe factum legitimis heredibus teſtatoris, non nato poſthumo; non ea de cauſa defendebat, quòd putaret ex tacita vulgari, pupillo ſuccedi, non teſtatori: ſed magis, quòd negaret expreſſam pupillarem continere

tacitam vulgarem, id eſt, teſtatorem, qui in vnum caſum proſpexit, in alium etiam proſpicere voluiſſe, quod contrà Lucius Craſſus adſerebat. Poſtea conſtitutione Diui Marci inductum eſt, vt in omnem caſum videatur prouidiſſe, qui in vnum prouidit. Quamobrem nulla ampliùs hodie in hoc caſu ſupereſt quæſtio voluntatis teſtatoris. Admittitur tamen probatio contrariæ voluntatis. d. l. Iam hoc iure.

Vtrum tacita pupillaris matrem excludat à ſucceßione filij impuberis.

CAPVT. XVIII.

Refutata opinio eorum qui exiſtimant fauore matris expreſſam vulgarem non continere tacitã pupillarem. Verius eſſe continere, ſed effe:: um eam non habere. Ratio eius rei reddita. Quod habet locum tam in teſtamento militis, quàm etiam pagani. Conciliata l. Precibus C. *de Impub. & l. Centurio* D. *de vulgari. Vtilitas & fructus eius diſputationis.*

PLVRIMVM intereſt, an ſubſtitutio pupillaris expreſſa ſit, an verò tacita. Expreſſa pupillaris matrem excludit ab hereditate filii impuberis, non excludit tacita. Quidam dicunt,

quoties mater eſt in medio, expreſſam vulgarem non continere tacitam pupillarem, fauore matris: quod falſum eſt. Nam continet quidem expreſſa vulgaris tacitam pupillarem, ſed ea effectum non habet aduerſus matrem, vt rectiſſimè Bartolus exiſtimauit. Ratio differentiæ non eſt obſcura. Quando expreſſè pater filio impuberi in ſecundum caſum ſubſtituit, voluntas teſtatoris eſt certa, quòd heredem ſuũ præferre matri voluerit. Quando verò in primum, non eſt certa, niſi in primum: in ſecundum verò incerta penitus eſt, quæ nec ex verbis, nec ex verborum ſententia, nec ex veriſimili, & probabili mente teſtatoris depræhenditur. Lex tantùm ſubintelligit, & præſumit voluiſſe quoque teſtatorem in ſecundum caſum prouidere. Quæ præſumptio reijcitur in gratiam matris, ne ipſa luctuoſa filij hereditate priuetur. Quod habet locum, ſiue mater adiecta ſit filio coheres, l. 2. fin. C. de inſtitut. & ſubſtitut. ſub conditione factis, ſiue non ſit. l. Precibus. C. de impub. lex quidem fin. ea maximè ratione nititur, quòd mater coheres filio adiecta ſit. Sed & aliam ſimul non obſcurè iungit, quòd æquum ſit luctuoſam filij hereditatem ad matrem

peruenire. Denique, ſi ille locus non ſatis eam ſententiam probat; at probat l. Precibus: vbi, ſi teſtator in primum tantùm caſum filio ſubſtituerit, mater admittitur ad hereditatem filij, excluſo ſubſtituto. Sed dubium eſt an ea l. Precibus, eam ſententiam confirmet. loquitur enim in milite, non in pagano. Alia eſt coniectura voluntatis in hoc, quàm in illo. Miles tantum ſenſiſſe, & voluiſſe intelligitur, quantum dixit l. Diuus. & l. Lucius. D. de teſtam. milit. Imperiti ſunt milites: l. fin. C. de iure deliberandi. Imperitia in milite facit, vt de eo quod iuris eſt, non videatur cogitaſſe, ſi non expreſſerit. Quamobrem, ſi miles filio impuberi ſubſtituerit in primum caſum, ſi heres non erit; non videbitur in ſecundum ſubſtituiſſe, ſi heres erit, & deinde deceſſerit. Illud igitur ſingulare eſſe videtur in teſtamento militis, vt ſubſtitutio in primum caſum facta non compræhendat ſecundum. Et ideo ſi filius impubes deceſſerit, non ſolùm admittitur mater, ſed etiam quiuis alius legitimus teſtatoris heres, excluſo ſubſtituto. Nam etiam ſi miles ex certo fundo heredem inſtituerit, non intelligimus hoc voluiſſe militem, vt ad heredem tota hereditas perti-

neret,ſed vt in reliquo inteſtatus decederet, l. 6. D. de teſtam. militis: intelligimus autem voluiſſe paganum, ſi ex certo fundo heredem ſcripſerit. l. 1. §. ſi ex fundo. D. de heredib. inſtit. Vnde eadem ratione miles, qui in primum caſum ſubſtituit, non videbitur in ſecundum caſum ſubſtituiſſe, licet aliud ſit in pagano. Huic ſententiæ ſubſcribunt permulti ex veteribus, & recentioribus interpretibus, nouiſſimè Donellus ad l. Precibus, & Henricus Suerinus repetit. Lectionum cap. 34. Quo minùs ego ſubſcribam facit, quòd in l. Centurio. D. de vulgari. ſubſtitutio facta à milite in ſecundum caſum, comprǣhendit primum: ergo etiam facta in primum, comprǣhendet ſecundum. Conſtitutio Diui Marci, quæ in vno caſu recipitur, etiam & in alio admittenda eſt. Nec vlla probabilis ratio differentiæ reddi poteſt. Itáque, non ſolùm intelligitur voluiſſe miles, quod dixi; verùm etiam & quod lex præſumit eum ſenſiſſe, & voluiſſe. Extra ea non inſpicitur quid ſenſerit, & voluerit, ſed quid dixit. Nec inutilis hæc diſputatio eſt. Multùm enim prodeſt, vt ſubſtitutio facta à milite in primum caſum, comprǣhendat ſecundum. Quoniam, ſi mater, quam non ex-

cludit ſubſtitutus ex tacita pupillari, renuntiauerit ſucceſſioni filij, aut ex aliqua cauſa, priuata ſucceſſione filij fuerit; vt quia filio tutorem non petierit l. Matres C. ad Tertull. l. Sciant C. de legit. hered. ſubſtitutus ex tacita pupillari ad ſucceſſionem filij admittetur. Igitur concludendum eſt, tacitam pupillarem matrem non excludere; expreſſam excludere, etiam illam, quæ ſub reciproca continetur. Eſt enim expreſſa communi verbo, id eſt verbo, quod tam vulgari, quàm pupillari ſubſtitutioni conuenit. d. l. Iam hoc iure & l. Lucius D. de vulgari, l. in teſtamento. C. de teſtam. militis.

Non rectè ſpeciem ſubſtitutionis conſtitui, quæ compendioſa vocetur.

Cap. XIX.

Nullam eſſe ſeparatam ſpeciem ſubſtitutionis, quæ compendioſa vocetur: eſſe quæ reciproca vocetur: & quæ quaſi pupillaris, ſeu exemplaris. Compendioſam non habere diuerſos effectus à vulgari, & pupillari. Omnẽ ſubſtitutionem vel expreſsis formulis fieri, vel compendio.

IDem iudicium eſſe debet de pupillari contenta ſub ea ſpecie ſubſtitutionis, quam vulgò compendioſam vocant. Compēdio enim ſermonis, pupillaris in ea cōpræhenditur; non autem à lege ſubintelligitur: vnde matrem excludit. Sed vereor, ne non ſatis rectè aliqua ſubſtitutio compendioſa dicatur, quæ propriam, & ſeparatam ſpeciem ſubſtitutionis conſtituat. Nam ſi conſtitueret, haberet diuerſos effectus à vulgari, & pupillari; quos non habet. Reciproca habet, vnde tertium genus ſubſtitutionis dicitur in d. l. iam hoc iure. Non enim ſolùm differt à vulgari, & pupillari, quòd formulam diuerſam habeat, introductam propter caduca: quò remedio ſubſtitutionis reciprocæ valeret inter coheredes ius accreſcendi antiquum, potiùs quàm ius caduci: ſed in alijs etiam, quę naturam vlgaris ſubſtitutionis, vel pupillaris reſpiciunt. Vt ecce: Quilibet ſubſtitui poteſt in vulgari, & pupillari: in reciproca non quilibet: ſed qui heres inſtitutus eſt, ſubſtituitur. Eſt enim mutua ſubſtitutio. l. Cùm proponebatur de legat. 2. l. coheredi. §. qui diſcretas. D. de vulgari. Deinde ex conſtitutione Diui Marci, vulgaris facta ſi-

lio impuberi, tacitam ſemper cõtinet pupillarem, pupillaris tacitam vulgarem. Reciproca non ſemper vtramque continet: non continet pupillarem, ſi teſtator duos filios heredes inſtituerit, & eos inuicem ſubſtituerit, quorum vnus ſit pubes, alter impubes. d. l. iam hoc iure. & l. Lucius. D. de vulgari: non continet vlgarem, ſi teſtator filium impuberem heredem inſtituerit, & alium filium impuberem exheredauerit, & eos inuicem ſubſtituerit: quia filio impuberi exheredato vulgariter ſubſtitui non poteſt. Habet etiam & alia ſingularia permulta circa inæqualitatem, & imparitatem eorum qui ſubſtituuntur, quæ non ſunt in vulgari, & pupillari, quæ tractant interpretes in d. l. Lucius de vulgari. Iuſtiniana quoque conſtitutione. l. humanitatis. C. de impub. inducta ſubſtitutio, quæ vulgò exemplaris, ab alijs quaſi pupillaris appellatur, in multis differt à pupillari. Vt ecce, in hac ſolus pater, poteſt ſubſtituere pupillo: in illa, & pater, & mater furioſo: hæc fit liberis qui ſunt in poteſtate tantùm: illa, etiam emancipatis & naturalibus: in hac quilibet poteſt ſubſtitui, in illa, non quilibet: extraneus enim non poteſt, d. l. Humanitatis: hæc finitur

pubertate, illa reſipiſcentia. Vnde cùm in multis ab hac, illa differat, quartum genus ſubſtitutionis conſtituit. Quæ verò compendioſa dicitur, nullos alios effectus habet, quem quos vulgaris, aut pupillaris. Si à milite facta fuerit, valet vt vulgaris ante aditam hereditatem: poſt aditam hereditatem ante pubertatem, vt pupillaris: poſt pubertatem, vt precaria, vel fideicōmiſſaria, priuilegio militum, non iure cōmuni. Si à pagano, ne quidem poſt pubertatem valet in vim fideicommiſſi. Cùm igitur nihil proprium habeat, nec ſeparatum ab alijs ſpeciebus ſubſtitutionū, propriā, & diſtinctam ſpeciem ſubſtitutionis non conſtituet. Nec refert, quòd compendio, verborum fiat. Omnis enim ſubſtitutio poteſt expreſſis formulis fieri: poteſt & compendio, ſiue ſimplex ſit ſubſtitutio, ſiue duplex. Vulgaris ſubſtitutio fit expreſſis formulis, hoc modo, Si Lucius Titius heres non erit, Caius heres eſto: compendio, Sempronius Plotij heres eſto, Plotio nempe herede inſtituto. l. fin. C. de hered. inſtit. aut Titio Mæuium ſubſtituo. Duplex eodem modo cōpendio fit, Sempronius Plotio heres eſto, cùm eſt Plotius filius teſtatoris impubes, quē teſtator in poteſtate

habet. Sic reciproca poteſt expreſſis formulis fieri, poteſt & compendio: d. l. Lucius, de vulgari. Et ſimiliter facta à milite ſubſtitutio filio impuberi vltra pubertatem, quæ priuilegio militum compræhendit vulgarem, pupillarem, & fideicōmiſſariam, poteſt expreſſis formulis fieri: poteſt etiam compendio: veluti, ſi heres erit, & poſt vita deceſſerit, Titius heres eſto: aut, quandocunque filius meus deceſſerit, Caius heres eſto. Nec intereſt quantū ad effectum attinet, an ſubſtitutio expreſſis formulis fiat, an verò compendio. Idem enim eſt effectus vtriuſque. Itaque nulla differentia conſtituenda eſt inter ſubſtitutionem, quæ expreſſis formulis fit: & eam, quæ compendiò.

An Subſtitutio à milite facta vltra pubertatem, valeat iure directo, an verò in vim fideicommiſſi tantùm.

Capvt. XX.

Interpretatio l. Precibus C. *de impub. Sententia eorum qui conſtituunt nouam ſpeciem ſubſtitutionis, quæ directa militaris vocetur. Eorum rationes. Contraria ſententia probata, in qua concluditur, ſubſtitutionem à milite factam vltra pubertatem valere in vim fid. commiſſi tantum.*

NOn rectè ſpeciem aliquam ſubſtitutionis conſtitui, quæ Compendioſa dicatur, quidam veteres fatentur, & omnes ferè recentiores. Itaque legunt in d. l. Precibus pro (compendioſa) (compendio) quemadmodũ in emendatioribus Codicibus legitur. Sed dicunt eam ſubſtitutionem directam eſſe militarem, quæ à militibus, directis verbis fit; & nouam ſpeciem ſubſtitutionis conſtituit. Siquidem à pupillari differt: quòd pupillaris finiatur pubertate, hæc verò non finitur: ſed intra pubertatem valet iure communi, quo non aliter, ac ſi paganus filium heredem inſtituiſſet, & ei in ſecundum caſum ſubſtituiſſet, capiet ſubſtitutus bona patris iuncta cum bonis filij, l. ſed ſi plures. §. filio D. de vulgari: poſt pubertatem verò bona tantùm patris, non iure communi, ſed ex priuilegio militum: non obliquo fideicommiſſi iure, ſed iure directo: bona verò filij ad eius heredes legitimos pertinebunt. l. Centurio. D. de vulgari. Eius doctrinæ has rationes potiſſimùm afferunt. Primùm dicunt, hoc eſſe priuilegium militum, vt poſſint heredibus quibuſcunque, etiam extraneis poſt aditionem ſubſtituere. l. Milites 5. ff. de teſtam. militis l. 6. C. eod.

eod. Atque etiam, vt poſſint ex tempore, & ad tempus heredem inſtituere. l. 41. Miles in princip. eod. tit. quod pagani non poſſunt, l. heres D. de hered. inſtit. Vnde ſubſtitutus à milite eius liberis vltra pubertatem, vel extraneis poſt aditionem, eſt velut loco heredis ex tempore ſcripti: Inſtitutus autem heres loco heredis ad tempus ſcripti. Proinde directò heres eſt, non per fideicommiſſum. Et verò priuilegium militum nullum eſſet, ſi ſubſtitutio ab his facta liberis poſt pubertatem, iure directo non valeret, ſed per fideicommiſſum tantùm: quia cuique licet per fideicommiſſum ſubſtituere. Deinde, lex Centurio, manifeſtè eam ſententiam confirmat, in qua Papinianus proponit, militem directò ſubſtituiſſe filio, ſi intra quintum, & vicesimum annum decederet, & ex ea ſubſtitutione, bona patris ad ſubſtitutum pertinere ex priuilegio militum. Non igitur fideicommiſſi iure. Nam vbi fideicommiſſum relictum eſt, valet fideicommiſſum iure communi poſt pubertatem, non ex priuilegio. §. fin. Inſtit. de ſingulis rebus per fideicom. relictis. & § fin. Inſtit. de pupill. ſubſtit. Præterea in eadem l. Centurio, dicitur, ſubſtitutum bona patris ob-

tinere, cum fructibus inuentis in hereditate. At in fideicommiſſaria hereditatis reſtitutione, res ipſæ ſolùm hereditariæ continentur, non earum fructus, niſi mora fideicommiſſo præſtando facta ſit. l. 18. In fideicommiſſariam. l. 44. Poſtulante §. fin. D. ad Trebel. l. Iubemus. C. eod. Nec obſtare dicunt, quòd, ſi iure directo bona militis poſt pubertatem ſubſtitutus caperet, miles poſt pubertatem filio ſuo heredem daret, & ciui Romano puberi teſtamenti factionem priuilegio ſuo adimeret: quoniam in ſuis tantùm bonis pater ei heredem dat, bona enim patris tantùm ſubſtitutus capit, non bona filij. l. 28. Cùm filiusfam. D. de teſtam. milit. Sed vrget maximè. l. Precibus. C. de impub. vbi, ſi miles ſubſtitutionem in ſecundū caſum fecerit, vel expreſſam, vel compendio, non vſque ad certam ætatem, veluti, quandocunque filius deceſſerit, ſi filius deceſſerit poſt pubertatem, reſcribūt Imperatores, à matre eius herede ſubſtitutum bona patris petiturum, veluti ex cauſa fideicommiſſi. Quidam reſpondent, l. Precibus loqui, quando mater eſt in medio: nam tunc, ſi pupillus intra pubertatem moriatur, mater excluditur, quia expreſſa pupillaris, quæ con-

tinetur in compendioſa, aut directa militari, matrem excludit. Sed, ſi poſt pubertatem moriatur, matris fauore, vt quartam deducat, ſubſtitutio iure fideicommiſſi valet. Hanc ſolutionem rectè reijcit Alciatus, quia non fuit, cur vllus fauor matris pretenderetur; cùm de bonis patris, non de bonis filij quæſtio eſſet. Ipſe Alciatus diſtinguit, an vſque ad certam ætatem facta fuerit ſubſtitutio, vt in l. Centurio: an verò ad certam ætatem reſtricta non ſit, veluti, quandocunque filius meus deceſſerit. Nam priore caſu, ſubſtitutio valet omni tempore, id eſt ante pubertatem, & poſt pubertatem iure directo: poſteriore verò, iure fideicommiſſi. Quoniam, etſi miles poſſet etiam hoc poſteriore caſu, directò poſt pubertatem ſubſtituere, l. 41. Miles, D. de teſtam. militis, non tamen videtur id voluiſſe, ſed voluiſſe tantùm vti iure communi, ne ea fiat interpretatio, qua filius perpetuò prohibeatur de rebus paternis diſponere: quæ interpretatio rectè fit, vbi ſubſtitutio ad certum ętatis tempus facta eſt. Huic ſolutioni aſtipulari videntur verba d. l. Precibus, quæ habentur eiuſmodi. *Si verò ſubſtitutio in ſecundum caſum, vel expreſſa, vel compendio, non vſque ad certam*

ætatem facta reperiatur. Verùm alius eſt eorum verborum ſenſus. His enim ſignificatur, nihil referre, an ſubſtitutio expreſſa fiat, id eſt certo tempore expreſſo, putà ſi intrà vicesimum, & quintùm annum deceſſerit: an compendio verborum, non vſque ad certam ætatem, id eſt, nulla certa ætate definita, putà ſi deceſſerit, vel quandocunque deceſſerit: vt rectè explicat Duarenus cap. 7. lib. 2. diſputat. anniuerſ. Alij dicunt hæc verba, *veluti ex cauſa fideicommiſſi*, ſic accipienda, vt Imperatores his ſignificent, hanc ſubſtitutionem, quæ directa eſt, perinde valere iure directo, ac valeret iure fideicommiſſi, ſi verbis fideicommiſſi facta eſſet. Nam, vt valet fideicommiſſum poſt pubertatem: ita hæc ſubſtitutio valebit iure directo, poſt pubertatem. Et vt in fideicommiſſo, non veniunt propria bona filij, ſed bona tantùm patris in reſtitutionem: ſic & ex hac ſubſtitutione bona patris ſolùm ſubſtitutus habebit: in bonis verò filij mater ſuccedet. Quamobrem hæc verba, d. l. Precibus, *tunc eius te ſucceſſionem obtinente*, ſic interpretantur, te matre hereditatem obtinente filij, bona patris à te peti poterunt, fortè à te matre occupata, quoniam iuncta erant cum bo-

nis filij, adita à filio patris hereditate. l. ſed ſi plures. §. filio D. de vulgari. Ego in ſuperiori capite ſatis oſtendi me ex eorum parte ſtare, qui contrariam ſententiã adſtruũt. In quam his duobus certiſſimis argumentis ductus ſum. Primum, quod initio huius diſputationis præfatus ſum, duos eſſe caſus ſubſtitutionis. Vnum adquiſitæ hereditatis, alium non adquiſitæ: hic vulgaris, ille pupillaris ſubſtitutionis eſt, & eius etiã quæ furioſo fit. Vterque etiã, vel alteruter reciprocæ ſubſtitutionis. At eius ſubſtitutionis, quã directam militarẽ vocant, neuter caſus eſſe poteſt: non adquiſitæ hereditatis, quia adita hereditate expirat, l. poſt aditam, C. de impub. adquiſitæ; quoniam per eum non teſtatori, ſed pupillo ſucceditur. At in ſubſtitutione à milite facta pupillis, vel extraneis, qui ſibi heredes extiterint, non eis, ſed teſtatoribus ſucceditur. Alterum eſt: quod verbis ciuilibus, ſeu directò alicui relinquitur, capit ipſe iure ſuo non ab herede petit. §. fin. Inſtit. de ſing. reb. per fideicom. relict. quod autem non directò, ſed precariò, non iure ſuo capit, ſed petit ab herede: illud directis, hoc precarijs verbis relinquitur. Si quis igitur velit non directò per ſe, ſed obliquè per me-

diam heredis perſonam relinquere, precarijs verbis vti debet,non ciuilibus. Nam ciuilia verba non ſolent inflecti,id eſt,ius non ſolet verba directa habere pro precarijs. Quamobrem, ſi miles filium impuberem heredem inſtituerit, & ei poſt pubertatem directò ſubſtituerit;non poteſt valere illa ſubſtitutio iure directo, quia non à teſtatore, ſed quaſi per mediam filij perſonam ſubſtitutus bona capit,quæ amplius non ſunt teſtatoris,ſed filij heredis: iunctæ enim cœperunt eſſe hæreditates immiſtione. Vnde quæ non poteſt valere vt directa, valet vt præcaria fauore militum: quod non recipitur in paganis, l. Verbis. D. de vulgari. Et illud eſt, quod dicitur in d. l. Precibus, *veluti ex cauſa fideicommiſſi bona, quæ cum moreretur, patris eius fuerint à te peti poſſunt*: id eſt, quaſi filius rogatus eſſet reſtituere hereditatem, cùm moreretur: aut, ſi intra viceſimum & quintum annum moreretur, à te matre obtinente hereditatem filij, bona quæ fuerunt patris, cùm pater moreretur peti poterunt. Priuilegium igitur militis in eo verſatur, quòd à militibus facta vltra pubertatem directa ſubſtitutio inutilis non eſt, quoniam valet iure fideicommiſſi: facta verò à paganis inutilis

prorſus eſt: adeo, vt ne quidem in vim fideicommiſſi ſuſtineatur. Eſt autem differentia, an miles heredẽ ex certo tempore, & ad certum tempus inſtituerit, an verò ſubſtituerit: ſubſtitutus, non eſt loco heredis ex tempore ſcripti. Cuius rei argumentum eſt, quòd mortuo herede inſtituto ex tempore, antequam dies inſtitutionis aduenerit, locus eſt legitimis teſtatoris heredibus, l. 41. Miles in princip. D. de teſtam. militis: quod nemo rectè dixerit in ſubſtitutis. Si enim miles filio ſubſtituerit, ſi intra viceſimum & quintum annum moreretur, mortuo ſubſtituto ante conditionem ſubſtitutionis, hereditas apud inſtitutum remanet, & ad heredes inſtituti heredis tranſit: non autem locus eſt legitimis defuncti heredibus, l. Vnic. §. pro ſecundo, C. de caduc. tollendis. Quod verò in l. Centurio, proponitur, de fructibus inuentis in hereditate, interpretãdum eſt de fructibus inuentis in hereditate patris, tempore mortis patris, & ante aditam hereditatem perceptis: quoniam hi augent hereditatem, & pars bonorum patris cenſentur, nec ab alijs bonis patris diſtinguendi ſunt, l. Ita tamen, §. 1. D. ad Trebell. l. 9. In lege, D. ad l. Falcid.

An Subſtitutio à pagano facta vltra pubertatem, valeat in vim fideicommiſſi.

Capvt. XXI.

Subſtitutionem à pagano factam vltra pubertatem, non valere in vim fideicommiſſi. Fideicommiſſum nunquam præſumendum, cùm verbis directis teſtator vſus fuerit: ſecus cùm verbis communibus, aut directis ſimul, & precarijs.

His conſequens omnino eſt, vt ſubſtitutio à pagano facta filio impuberi vltra pubertatis annos, ne quidem in vim fideicōmiſſi valeat. Quod etiã in duobus ſuperioribus capitib. adſerui. Nam ſi valeret, nullũ eſſet priuilegium militis. Dicunt tamen qui contrariam ſententiam adſerunt, præſumēdum eſſe, voluiſſe teſtatorem, vt ſubſtitutio, quæ nō poteſt valere iure directo, valeat precario. Quoniam ſi voluit ex pupillari ſubſtitutum ſuccedere, quo caſu & ſua, & pupilli bona ſubſtitutus capiet, l. ſed ſi plures, §. ad ſubſtitutos. D. de vulgari: multò magis poſt pubertatem bona ſua ei reſtitui voluit. Dicunt etiam, ſi ea ſubſtitutio in vim fideicommiſſi non valuerit, inutilem eam prorſus fore. Et hoc etiam

fatendum eſt fore inutilem poſt pubertatem, præterquam in caſum vulgarem. Non valere verò in vim fideicommiſſi ideo dicimus, quòd verba directa nunquam ad fideicommiſſum trahi ſoleant, niſi æquitas, vel fauor aliquis ſuadeat: vt fauor libertatis ſuadet eam trahi in l. generaliter, §. ſi quis ſeruo, D. de fideicommiſſ. libert. fauor pupilli, cui ſubſtituitur, quò ſucceſſorem habeat, l. Iulianus 42. D. de adquir. hered. l. Scæuola. D. ad Trebell. At nullus hic fauor, nulla æquitas ſubeſt, vt ad fideicommiſſum verba directa trahamus. E contra ſi traxerimus, adimemus filio facto puberi facultatem diſponendi de rebus paternis: eum onerabimus fideicommiſſo: fideicommiſſum enim onus heredis eſt, l. Coheredi, §. cùm filiæ, D. de vulgari: quem in dubio non eſt præſumēdum teſtatorem grauare voluiſſe, l. 34. Titia. §. qui inuita. l. 67. Vnum ex familia, §. ſi rem, de legat. 2. Et verò odioſa fideicommiſſa ſunt: Symmachus epiſt. 13. lib. 2. quæ nunquam præſumenda ſunt, niſi ex verbis teſtatoris colligantur l. 46. quidem. D. de hered. inſt. vt ſi teſtator verbis precarijs vſus fuerit: aut etiam communibus, cap. ſi pater de teſtam. in 6. vel quoque directis ſimul, & preca-

rijs, quibus nonnunquam ſolebant veteres relinquere, quò eà quæ relicta erant, ſaltem iure fideicommiſſi valerent, vt rectè Cuiacius cap. 25. lib. 11. obſer. admonuit. At nũquam, ſi verbis tantũ directis vſus fuerit.

An nudum nomen ſui heredis confirmet tabulas pupillares.

CAPVT XXII.

Vbi filius impubes heres patri extitit nudo nomine, ex aſſe ſcriptus, nudum eius nomen tabulas pupillares confirmat. Vbi exheredatus eſt, ſi extraneus ei ſubſtitutus fuerit, non confirmantur tabulæ pupillares: ſecùs ſi ſuus. Noua ratione conciliata lex quæſitum, 40. D. de adquir. hered. cum l. filius, 41. eod. Quid iuris ſit ſi ex parte heres ſcriptus fuerit impubes, & ei coheres ſubſtitutus, ſuus, aut extraneus. Expoſita l. Si filius, 12. D. de vulgari.

HÆc quæſtio admodum difficilis conſtitutis tribus caſibus explicanda eſt. Primus eſt, cùm filius impubes heres ex aſſe ſcriptus eſt, & ei pater in ſecundum caſum ſubſtituit. Secũdus, cùm heres inſtitutus filio impuberi exheredato ſubſtitutus eſt. Tertius, quãdo filius impubes heres ex parte ſcriptus eſt, & co-

heres ei ſubſtitutus eſt. Primo caſu diſtinguendum eſt, an filius impubes heres patri extiterit, an verò non extiterit. Heredem extitiſſe hîc accipimus immiſtione: nam ſi nudo tantùm nomine heres extiterit, non videbitur heres extitiſſe. Igitur, ſi ſe impubes immiſcuerit paternæ hereditati, confirmantur tabulæ pupillares miſtione: ſi ſe non immiſcuerit, euaneſcere videntur; quia nemo ex teſtamento patris heres eſt, l. 2. l. 10. ſed ſi plures, §. ex aſſe, D. de vulgari. Verum tamen eas non euaneſcere verius eſt. Primùm enim ſubſtitutus admiti poteſt ex tacita vulgari, quæ in pupillari continetur, à qua teſtamentum incipere poteſt, & ex ea hereditas adiri: & conſequenter pupillaris ſubſtitutio confirmabitur. Quoniam teſtator qui in vnum caſum proſpexit, & in alium quoque proſpexiſſe intelligitur, vt ſæpiſſimè iam dictum eſt. Sed ſiue filius miſcuerit ſe paternæ hæreditati, & ſic patri heres extiterit, & poſtea deceſſerit: ſiue ea abſtinuerit, & ex tacita vulgari ſubſtitutus teſtatori ſucceſſerit, ex ſubſtitutione vtriuſque hereditatem ſubſtitutus conſequetur, & vtriuſque creditoribus reſpōdebit. Priore caſu, quòd iuncta cæpit eſſe hereditas patris, & filij, poſtquã

filius ſe immiſcuit l. pater familias, D. de priuileg. credit. l. 10. ſed ſi plures, §. filio D, de vulgari. l. qui patri. D. de adquir. hered. Altero verò, quòd adita ex tacita vulgari hereditate, confirmatum eſt pupillare teſtamentum. Vnde neceſſe habet ſubſtitutus, qui ex tacita vulgari adiuit, pupillo ſuccedere: non enim poteſt iudicium teſtatoris pro parte probare, & pro parte improbare. l. 5. qui principale. D. de his quib. vt indignis, & l. quidam elogio. C. de iure deliber. Inſuper poteſt ſubſtitutus admitti ex pupillari, quamuis hereditatem patris ex tacita vulgari non adeat, nec vllus etiam coheres extiterit, qui paternam hereditatē adiret, vt probat l. 42. Iulianus. D. de adquir. hered. Nec obloquitur, quod hoc modo fruſtra lex aditionē hereditatis exigeret, quò tabulæ pupillares confirmentur, quæ ſuis tantùm heredibus fiunt, l. 2. D. de vulgari. Non enim propterea fruſtra eam lex exigit, quia ſi extraneus heres inſtitutus fuerit, non filius, corruit pupillaris ſubſtitutio, niſi adita fuerit patris hereditas: cùm nullus heres tunc extet, vel re, vel nomine, qui tabulas pupillares ſubſtineat. Vbi autem filius heres inſtitutus eſt, & is abſtinet paterna hereditate, nudum

eius nomen tabulas pupillares confirmat. Subſtitutus verò, qui hereditatem tantùm pupilli adiuerit, non tenebitur creditoribus paternis reſpondere, ſi filius nunquam ſe immiſcuerit, d. l. Iulianus. Si aliquando ſe immiſcuerit, & poſtea abſtinuerit, quod vtique poteſt filius impubes, l. impuberibus. & l. neceſſarijs, D. de adquir. hered. immiſtio filio non nocebit, ſed nocebit eius ſubſtituto, vt teneatur creditoribus paternis reſpondere. d. l. paterfamilias de priuileg. credit. Secundus caſus diſtinctionem hanc recipit, an heres inſtitutus, qui filio impuberi exheredato ſubſtitutus eſt, ex aſſe, an verò ex parte heres inſtitutus fuerit. Si ex parte, ſiue ſuus, ſiue extraneus fuerit, poterit repudiare hereditatem patris, & pupillarem amplecti, quoniam ſuſtinebitur teſtamentum à cæteris coheredibus; ſi modò vnus ex his hereditatē adierit. l. quæſitū, D. de adquir. hered. Quòd ſi ex aſſe, diſtinguendum eſt inter extraneū, & ſuum. ¶ l. Et rurſus in extraneo diſtinguitur, an habeat ſubſtitutum vulgarem, an verò non habeat. Si habeat, poterit pupillarem hereditatem amplecti, repudiatâ paternâ, quia teſtamentum ſuſtinebit ſubſtitutus, qui ex ſubſtitutione adibit. d. l. ſed

ſi plures, §. ſi ex aſſe. Si non habeat, non poterit ad impuberis hereditatem admitti ſi repudiauerit hereditatem parternam: quoniam nullum eſt teſtamentum, quod deſtituitur repudiatâ patris hereditate. d. §. ſi ex aſſe. At verò ſi ſuus heres inſtitutus fuerit, & impuberi exheredato ſubſtitutus, ſi ipſe repudiauerit patris hereditatem, nihilominus ad impuberis hereditatem admittetur l. 41. filius, D. de adquir. hered. quoniam hic nomen heredis habet. Nudo nomine ſui heredis, vt pleraque alia in iure, ſic etiam & tabulæ pupillares ſuſtinentur. d. l. paterfamilias de priuileg. credit. l. 2. §. ſed ſi ſint ſui, D. ad Tertul. l. & ſi ex modica, §. ſi filius. D. de bonis libert. l. Cùm quaſi, §. ſed & ſi, D. de fideicom. libertat. Quod malè Antonius Faber negauit: cuius rationibus reſpondet Cuiacius in prælectionibus ad librum 3. quæſtionum Papiniani. Nihil enim certius in iure eſt hac ſententia. Nudum nomen, ſeu exiſtentiam ſui heredis, quam Græci ἀνάϛασιν appellant, corroborare tabulas pupillares. Videtur tamen Vlpianus in l. Quæſitum 40. D. de adquir. hered. infirmare id quod diximus de ſuo herede, impuberi exheredato ſubſtituto. Sed Vlpianum cum Iuliano

in l.41. filius, eod. tit. diſſidentem ſic conciliat Cuiacius cap. 8. lib. 18. obſeruat. vt Vlpianus loquatur de extraneo herede, Iulianus de ſuo. Quam ſolutionem verba Vlpiani nō patiuntur. *Quæſitum eſt* (inquit) *an licet quis paternæ hereditatis nihil attingat.* & poſtea dum refert diſtinctionem Marcelli, *multùm intereſſe, vtrum ex aſſe fuerit inſtitutus in patris teſtamento*. Sed reſpondet Cuiacius in eiſdem prælectionibus ad lib. 3. Quæſtionum Papiniani: quod in l. Quæſitum Vlpianus ſæpe memorat patrem, patríſve ſucceſſionem, hoc facit habito tantùm reſpectu ad pupillum. Verùm d. l. Quæſitum, non poſſe intelligi de herede extraneo hac ratione oſtendo. Si extraneus heres ex aſſe inſtitutus fuerit, & filio impuberi exheredato ſubſtitutus, non poteſt repudiatâ patris hereditate impuberis hereditatem adire, niſi ſubſtitutum vulgarem habeat, qui ex ſubſtitutione vulgari adeat, vt iam docui. Quamobrem fruſtra quæritur, an ipſe incidat in edictū, ſi quis omiſſâ cauſâ teſtamenti: quia is demum in illud edictum incidit, qui poteſt omiſſâ inſtitutione, ſubſtitutionem amplecti: quod non poteſt heres inſtitutus, ſi ſubſtitutum vulgarem non habuerit. Rurſus ſi habue-

rit; & omiſſa inſtitutione, ex ſubſtitutione pupilli hereditatē adierit, incidet quidem in edictum, aut in ſententiam edicti, quò teneatur petitione legatorũ ab inſtitutione relictorum, ſed non vt creditoribus paternis reſpondeat, de quibus loquitur, d.l. Quæſitum: nam ſubſtitutus qui ex vulgari patris hereditatem adierit, creditoribus paternis reſpondebit. Eſt igitur alio modo concilianda, d. l. Quæſitum. Ego exiſtimo ex coniunctione eius l. & l. Iulianus 42. eod. tit. ſolutionem eſſe eliciendam. Quæ ll. eundem auctorem habent Vlpianum lib. 4. Diſputationum. Quantum ex his duabus ll. ſimul iunctis conijcere poſſumus, Iulianus in ea ſententia fuit, vt exiſtimaret, ſiue filius ex aſſe, vel ex parte inſtitutus, fratri impuberi exheredato ſubſtitutus eſſet; ſiue fratri impuberi heredi inſtituto, qui paterna hereditate abſtineret, ipſe, vel alius eſſet ſubſtitutus; ſemper ſubſtitutum onera patris ſubiturum: quoniam vnum eſſet teſtamentum patris, & filij, d. l. paterfamilias de priuil. credit. Mouebatur, etiã, quòd nemo debeat commodum conſequi ex eo quod impugnauit. Iudicium teſtatoris oppugnat, qui non vult ex eo teſtatori heres eſſe. Commodum ex eo

conſequi

conſequi vult, qui ex eo pupillarem hereditatem amplectitur. Aut igitur ſpernere debet hereditatem pupilli, vt teſtatoris ſpreuit: Aut ſi pupillarem habere vult, onera paterni teſtamenti ferre debet. Quamobrem ſi filius heres inſtitutus, rep udiatâ patris hereditate, amplexus fuerit hereditatem pupilli, incidet in edictum. Si quis omiſſâ cauſâ teſtamenti, id eſt, in edicti ſententiam, in quam incidit, qui omiſſâ inſtitutione ſubſtitutionem amplectitur, l. Iulianus. D. ſi quis omiſſâ cauſâ teſtam. Marcellus Iuliani ſententiam reprehendit propoſitâ hac diſtinctione. Aut filius, qui ſubſtitutus eſt filio impuberi exheredato, ex aſſe inſtitutus eſt, aut ex parte. Si ex parte, poteſt ſine vllo metu edicti, remotâ patris ſucceſſione, impuberis hereditatem amplecti, quoniam teſtamentum non deſtituitur, quod alios heredes habet, qui onera teſtamenti ferant. Quòd ſi ex aſſe heres inſtitutus fuerit, non refert Vlpianus in d. l. Quæſitum, quid Marcellus ſenſerit. Sed ex d. l. Iulianus, in qua, in eodem fere argumento Marcellus Iulianum repræhendit, conijciendum eſt reſpondiſſe. Si filius à patre heres ex aſſe inſtitutus fuerit, & alteri filio impuberi exheredato ſubſtitutus, poſ-

ſe filium paternam hereditatem recuſare, & fraternam amplecti, nec eum propterea incidere in edictum, ſi quis omiſſâ cauſâ teſtamenti: quoniam vt in ea l. Iulianus, dicitur, non videtur voluiſſe fraudare edictũ, qui ſibi proſpexit, ne oneribus patris, pupilli hereditas implicaretur. Ergo ſic conciliandа eſt, d. l. Quæſitum. Si filius à patre fratri impuberi exheredato ſubſtitutus fuerit, poteſt paternâ hereditate reiectâ pupillarem amplecti, & ſe ei immiſcere, nec propterea incidet in edictum, vt putabat Iulianus, qui non negabat quidem, filium ſe immiſcentem hereditati fratris, eam hereditatem conſequi, ſed eum incidere in edictum dicebat. Contrà Marcellus negabat eum incidere. Vterque autem fatebatur exiſtentiam ſui heredis, ſeu, vt Græci dicunt, ἀνάφανσιν confirmare tabulas pupillares. Tertius caſus admittit hanc diſtinctionem, an coheres ſit extraneus, an verò ſuus. Si extraneus fuerit, non poteſt inſtitutionem amplecti, & recuſare ſubſtitutionem, nec contrà inſtitutionem omittere, & ſubſtitutionem amplecti: ſed neceſſe habet, aut vtramque habere, aut vtramque repudiare, l. qui patri D. de adquir. hered. l. quidam C. de iure delib. l. 10.

ſed ſi plures, §: filio. D. de vulgari. Si verò ſuus fuerit, & is repudiauerit hereditatem paternam; impubes autem ſe immiſcuerit hereditati paternæ; mortuo impubere, vtramque, aut neutram coheres habebit: quia portio hereditatis paternæ, quam coheres recuſauit, accreuit impuberi; & ita bona patris cum bonis pupilli commixta ſunt. Vnde conſequens eſt, vt qui non vult paterna, non habeat etiam fraterna, quæ commixta ſunt cum paternis: quoniam vnius perſonæ ſcindi hereditas nõ poteſt, vt pro parte habeatur, pro parte non habeatur. Quòd ſi impubes ſe abſtinuerit hereditate paterna, poterit & frater coheres ſimiliter recuſare paternam hereditatem, & retinere fraternam vt reſpondet Papinianus in l. 12. Si filius, D. de vulgari: quam legem non eſt neceſſe intelligere de fratre ſubſtituto exheredati; quanquam & de eo intelligi poſſit: nec quoque cum coheres adiectus eſt, qui paternam hereditatem adit: Sed etiam poteſt intelligi, vbi vterque filius heres inſtitutus eſt, & vterque hereditate paterna abſtinuit. Lex ſed ſi plures §. filio. verſic. idemquè D. de vulgari. Loquitur quando iuncta eſt hereditas, immiſtione filij impuberis. Lex quidam. C.

de iure deliber. Loquitur de extraneo coherede, non de ſuo. Lex 55. cum hereditate, D. de adquir. hered. Loquitur de ipſa hereditate parterna, cuius pars deficiens non poteſt agnoſci, & altera pars repudiari. Lex autem, Si filius, D. de vulgari loquitur de duabus hereditatibus, paterna, & fraterna. Vterque filius abſtinere paterna poteſt. Si vterque abſtinuerit, mortuo poſtea impubere, filius coheres impuberis, qui recuſauit paternam, poterit retinere fraternam: quoniam exiſtentia ſui heredis, apparētia, ἀνάφανσις tabulas pupillares confirmat; eáque amborum fratrum ſuorum heredum. Nam vterque ſuus heres extitit & filius impubes, & filius coheres impuberis. Quamobrem ſic cōcludenda tota hæc diſputatio eſt. Vbi impubes ex aſſe inſtitutꝰ eſt, qui hereditate paterna abſtinet, nudum eius nomen confirmat tabulas pupillares: & commodum eius eſt, vt confirmet: quò ſaltem ipſe heredem habeat, cùm pater non habuerit, l. 42. Iulianus, D. de adquir. hered. Vbi impubes exheredatus eſt, & frater ei ſubſtitutus, qui paternam hereditatem repudiat, nudum nomen, ſeu exiſtētia ſui heredis inſtituti à patre, & ſubſtituti filio exheredato tabulas pupillares

confirmat: nam filij exheredati exiſtentia non eſt, cùm exheredatio ius ſui abſciderit. Vbi extraneus inſtitutus eſt, & ſubſtitutus filio exheredato, hîc ceſſat exiſtentia ſui hæredis, quæ confirmet eas tabulas, quia nulla eſt exheredati, vt dixi. At verò vbi impubes à patre heres ex parte inſtitutus eſt, & ei frater coheres ſubſtitutus, vtriuſque exiſtentia confirmabit tabulas pupillares: quia vterque heres patrí extitit, non re, ſed nomine; cùm, vt propoſuimus, vterque paterna hereditate abſtinuerit.

Quatenus ſuus, vel extraneus heres hereditatem tranſmittat ad ſucceſſores ſuos.

Capvt XXIII.

Duos tantũ caſus, eſſe quibus hereditas non adita tranſmittitur. Suos non tranſmittere hereditatem quærendam, ſed quæſitam. Hanc ignorantes tranſmittere in quoſcunque heredes: ſcientes tranſmittere ius deliberandi hodie in eoſdem; olim in poſteros tantùm. Extraneos ignorantes nihil tranſmittere, ſed ſuccurri eorum heredibus in integrum reſtitutione. Scientes autem hodie ius deliberandi tranſmittere.

Vetvs regula iuris eſt, hereditatem non aditam non tranſmitti, l. Vnic. §. in nouiſſimo. C. de caduc. tollendis. l. quoniam

ſororem. C. de iure deliber. Ab ea regula excipit duos caſus Iuſtinianus in d.§. in nouiſſimo, quibus hereditas non adita transmittitur. Quando fit tranſmiſſio ex beneficio conſtitutionis Theodoſianæ C. de his qui ante apert. tab. hered. tranſmittunt: & cùm ius deliberandi tranſmittitur. Et verò illos duos tantùm caſus excipere debuit: cæteris enim vel fit tranſmiſſio ex æquitate, aut decreto Prætoris, deficiente iure ciuili, vt in l. 3. §. eleganter, & l. ſeq. D. de ſenatuſc. Silan. & l. Ventre. & l. Pannonius, D. de adquir. hered. & l. Scriptus, D. de carbon. edicto: vel fit tranſmiſſio hereditatis quaſi iam quæſitæ, vt in l. Si infanti C. de iure deliber. Quo modo etiam ſui heredes tranſmittunt. Nam quæ fit tranſmiſſio ex iure ſui, fit quæſitæ hereditatis, non quærendæ, l. 19. De hereditate. §. 1 D. de caſtrenſ. peculio, & l. 10. qui duos, §. fin. D. de reb. dubijs. Sui enim non ſcribuntur, ſed gignuntur heredes, vt eſt apud Symmachum epiſt. 9. lib. 1. Itaque illi duo tantùm caſus à Iuſtiniano excepti, exceptiones ſunt ſuprà dictæ regulæ. Tranſmiſſione ex beneficio conſtitutionis Theodoſianæ vtuntur liberi, ſiue ſui, ſiue emancipati, in liberos, & poſteros ſuos. Quam tranſmiſſionem

dicunt Interpretes fieri iure ſanguinis. Tranſmiſſione iuris deliberandi non ſolùm vtuntur ſui, & emancipati, verùm etiam extranei, in quoſcunque ſucceſſores, ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato hereditas delata fuerit. l. Cùm in antiquioribus, C. de iure deliber. Primum inducta fuit in ſuis heredibus: deinde ad emancipatos & extraneos heredes porrecta eſt. d. l. Cùm in antiquioribus. Quæ conſtitutio, exigit in ea ſpecie tranſmiſſionis, ſcientiam heredis, vt non aliter heres ius deliberādi tranſmittat, quàm ſi ſciuerit delatam ſibi hereditatem. Non poterunt igitur ignorantes ius deliberādi trāſmittere ad heredes ſuos. Quod rationibus iuris omnino conuenit. Nam cùm ſcientes tantùm deliberent, nemo poteſt, qui ignorauerit, ius deliberandi habere: nemo etiam quod ipſe non habet, poteſt ad alios tranſmittere. Attamen Alciatus, & Duarenus putant, & ignorantes heredes ius deliberandi tranſmiſſuros: ea potiſſimùm ratione quòd magis ignorantibus, quàm ſcientibus heredibus ſuccurrendum ſit, l. 1. C. de iuris & facti ignoran. Et ſpeciem aliquam æquitatis eorum opinio haberet, ſi omni alio remedio ignorantes heredes deſtituerentur. Ius deliberandi

inductum eſt propter ſcientes heredes, ne diu legitimis heredibus obſtarent: propter ignorantes heredes non eſt inductum: nec, vt dixi, induci potuit. Quid igitur habent ignorantes heredes? Aut ſui ſunt: aut extranei: Si ſui, ignorantes tranſmittunt hereditatem ad quoſcunque ſucceſſores ſuos: non dico eos tranſmittere ius deliberandi, ſed dico hereditatem tranſmittere: quod infinitis legibus probatur. l. apud hoſtes, C. de ſuis & legit. hered. l. 11. ex militari, in fine cum duabus legib. ſeq. D. de teſtam. milit. l. 19. de hereditate, §. filius, D. de caſtrenſi peculio. l. Ventre. D. de adquir. hered. Scientes autem tranſmittũt ius deliberandi. Et illud olim ante conſtitutionem, d. l. Cùm in antiquioribus tranſmittebant in poſteros ſuos tantùm. Itaque, qui ignorantes tranſmittebant in quoſcunque heredes ſuos hereditatem, ſcientes ius deliberandi in poſteros ſolùm tranſmittebant, Quoniam ignorantes non potuerant ſe immiſcere hereditati: ſi ſciuiſſent, immiſcuiſſent fortaſſe ſe hereditati paternæ; & eam acquiſitam in heredes ſuos quoſcũque tranſmiſiſſent. Scientes autem ſe immiſcere hereditati potuerant: qui ſi ſe non immiſcuiſſent, non fuit cur ad ſucceſſorum ex-

traneorum commodum, tranſmiſſioni iuris deliberandi locus eſſet; & nudum nomen ſui heredis obeſſet legitimis heredibus, qui ab inteſtato ſucceſſuri erant l. 2. §. ſi quis ex liberis, & §. ſed ſi ſint ſui, D. ad Tertull. l. Defunctis: C. de legit. hered. Fuit autem, cur ad cõmodum liberorum eadem ratione, qua beneficium conſtitutionis Theodoſianæ de quo ſuprà dixi, eorũ fauore inductũ eſt. Extraneis autem heredibus ignorantibus ſuccurrebatur olim, non ſcientibus. Nam ſi ignorantes extranei heredes deceſſiſſent, dabatur eorum heredibus extraordinarium in integrum reſtitutionis remedium, l. Pannonius, d. de adquir. hered. quo etiam remedio hodie eis ſubuenitur. Si verò ſcientes, nullum dabatur eorum heredibus remedium: nec ipſi in eos ius deliberandi tranſmittebant, ante cõſtitutionem, d. l. Cùm in ant iquioribus. Sed quod dixi, ignorantes non tranſmittere ius deliberandi, accipiendum eſt, niſi per ætatem ignorent: vt ſi infanti delata ſit hereditas: is enim ius deliberandi tranſmittit ad heredes ſuos, nouella conſtitut. 158. quæ interpretatur vtramque l. Si infanti, & l. Cùm in antiquioribus C. de iure deliber. Qui alio modo, quàm per æta.

tem, ignorat, ius deliberandi non tranſmittit.

Non fieri in ſpecie l. Si iactum retis D. de actionibus empti, æſtimationem eius quod intereſt.

Cap. XXIIII.

Expoſita l. Si iactum D. de actionib. empti, In eius ſpecie non eſſe locum æſtimationi eius quod intereſt, nec beneficio l. 2. C. de reſcind. Vendit.

SI iactum retis emero, & iactare rete piſcator noluit, incertum eius rei æſtimandum reſpondet Celſus in l. 12. Si iactum D. de actionib. empti, id eſt æſtimatio ineunda erit, arbitrio boni viri, piſcium qui capi potuiſſent, habita ratione temporis, quo piſcator iactare rete, debuit, Si eo tempore felix, aut infelix piſcatio fuerit. Quod admittunt rectè quidam recentiores interpretes, vt tamen non minoris fiat æſtimatio, quàm eſt pretium conuentum: quò pœna nõ careat venditor, qui per dolum, vel culpam iactare rete noluit. Et idem eſſe docet Celſus, ſi rete iactauerit piſcator, & piſces extraxerit, quos reddere nolit,

æſtimabuntur enim piſces extracti. Et æſtimabũtur etiam vltra duplũ. Nam & ſi emptio caſus certus ſit, & in caſibus certis id quod intereſt duplum excedere nõ debeat. l. Vnic. C. de ſentent. quæ pro eo quod intereſt profer. tamen hîc nõ dicimus æſtimari id quod intereſt, ſed magis fieri rei ipſius quæ vendita eſt, ſpei nempe, incerti ſpei æſtimationem: aut ſi piſces extracti ſint, captura ipſa piſcium æſtimatur. Cùm in iudicio empti id quod intereſt æſtimatur, æſtimatur ſolùm id quod intereſt circa rem, non illud quod extra rem conſiſtit. l. ſi ſterilis, §. cùm per vẽditorem, D. de actionib. empti. id eſt, præſtatur æſtimatio quanti plurimi res vendita valuerit a tempore contractûs, vel moræ: non præſtatur, quod inſuper extra rem ipſam intereſt: puta quod ex captis piſcibus negotiari emptor potuiſſet. d. §. cùm per venditorem. Hîc autem quæ poteſt conſiderari vtilitas circa rem, ſi iactare rete piſcator noluerit? quæ etiam poteſt, ſi quod extraxit piſciũ reddere nolit? Nam, à tempore capturæ, non poteſt intelligi aucta piſcium æſtimatio, cùm piſces ſeruando ſeruari non poſſint, & citò corrumpantur. Et ita non poteſt hoc caſu fieri æſtima-

tio eius quod intereſt, Sed tantùm ſit eius rei quæ vendita eſt. Agitur quidem in id quod intereſt, vt in qualibet alia re vendita non tradita; ſed in eſtimationem eius nihil aliud venit, quàm res ipſa vendita: non vtilitas vlla quæ circa rem, vel extra rem conſideretur. Nec hîc admittimus beneficium, l. 2. C. de reſcind vendit. Nam & ſi illud admitteremus in alijs rebus, quàm in rebus immobilibus pretioſis, in quibus tantùm iure, & moribus noſtris recipitur; tamen hoc caſu recipiendum non eſſet: quoniam, cùm periculum pecuniæ ſubeat qui ſpem emit, vt in propoſito caſu, ſi iactato rete nihil piſcium extractum fuerit, venditor nihilominus pretium conſequitur; æquum eſt etiam, vt ſi plus piſcium extractum fuerit, vel extrahi potuerit, quàm eſt duplum pretij, id omne emptor æſtimatione facta conſequantur.

Differentiam eſſe, an venditor nihil de tributo dixerit, an verò minorem dixerit tributi quantitatem.

CAPVT. XXV.

Interpretatio l. ſi ſterilis, §. 1. D. *de actionib. empti &*

l. ſi minor C. eod. Noua ratione conciliatæ hæ leges. Falſum eſſe, grauiorem eſſe pœnam reticentiæ, quàm mendacij.

VBi venditor ſciuit prædium ſeruitutem debere, & id reticuit, tenetur actione ex empto in id quod intereſt. l. 1. §. 1. & l. quæro D. de actionib. empti. Vbi autem ignorauit, non tenetur in id quod intereſt, ſed quantò minoris empturus fuiſſet emptor, ſi prædium ſeruitutem debere ſciuiſſet. l. 15. ſed & ſi quid. §. vſusfructus. D. de euictionib. l. 61. quoties. D. de ædilit. edicto. Sed etiam non tenebitur quantò minoris, ſi fundum vendiderit, quo iure quáve conditione eſt: l. 10. quod ſi in venditione cum l. ſeq. D. de hered. vel act. vendita: aut etiam, ſi proteſtatus fuerit ne teneretur, ſi inopinatum aliquod onus poſtea emergeret, d. l. 1. §. 1. de actionib. empti. Eadem dicenda ſunt de venditione prædij tributarij. Nam, ſi venditor prædij ſciens prædium tributum debere, nihil dixerit de tributo, tenebitur actione ex empto in id quod intereſt: ſi ignorans, tenebitur quantò minoris: ſic accipienda eſt l. 21. ſi ſterilis, §. 1. D. de actionib. empt. vbi, cùm Vlpianus dicit, non teneri ignorantem venditorem, qui nihil

dixit de tributo, interpretandum eſt non teneri ex empto in id quod intereſt, quemadmodum tenetur, cùm ſciens vẽdidit: cæterum teneri quantò minoris. Sunt tamen qui ignorantem venditorem nullo modo teneri dicunt. Qui quidem hanc rationem differentiæ inter tributa, & ſeruitutes reddunt. Quòd, cùm præſumptio pro libertate ſit, prædia ſemper libera præſumi debeant: contrà verò præſumuntur tributaria, ex quo prouincialia ſunt. Nam inde ſequitur eſſe tributaria, & ſtipendiaria. Quamobrem tributarium eſſe prædiũ emptor ſcire debuit: non debuit ſcire ſeruitutem debere. Sed illa ratio differentiæ rationibus iuris facilè oppugnatur. Si emptor ſcire debuit tributarium eſſe prædiũ, venditor, qui ſciens reticuit, teneri non debet: quem tamen teneri dicit Vlpianus in d. l. ſi ſterilis §. 1. quoniam, quoties emptor ſciuit, vel ſcire debuit, venditor non tenetur, d. l, 1. §. 1. de actionib. empti. Deinde cùm plura vectigalia, & tributa debere prędium venditum poſſit, quæ alia prædia non perſoluunt, l. Iulianus §. idem Iulianus eod. tit. vbi Cuiacius reponit rectè ex Baſilicis pro (legata) (vectigalia): venditor, qui ignorans nihil de tot tributis & vecti-

galibus dixit, teneri debet quantò minoris: quia prædium tot tributa, & vectigalia debere, emptor ſcire non debuit. Objicitur d. legi ſi ſterilis, §. 1. Lex ſi minor. C. eod. tit. quæ nullam conſtituit differentiam, inter ſcientem, & ignorantem venditorem; ſed vtrunque teneri vult, non in id quod intereſt, ſed quantò minoris. Rectè conciliant, qui ſic diſſoluunt, eum qui ſciens reticuit tributum agri, capitationem agri, teneri in id quod intereſt. d. l. ſi ſterilis §. 1, eum verò qui mentitus eſt de quantitate tributi, teneri ſolùm quantò minoris, d. l. ſi minor. Sed non probo rationem quam afferunt, ideo id contingere, quòd grauior ſit pœna reticentæ, quàm mendacij. Nam etiam is qui ſciuit, & adſeuerauit prædium, tributum, vel ſeruitutem non debere, tenetur ex empto in id quod intereſt. Et verò nulla ratio probabilis reddi poſſet, cur non teneretur. Si enim is qui ignorans adſeuerauit tenetur in id quod intereſt, quia non debuit temerè adſeuerare, d. l. 1. §. 1. 2. Tenetur. §. ſed ſi vas, & l. Iulianus in princip. eod. tit: multò magis is qui ſciens adſeuerauit, tenebitur etiam in id quod intereſt, quia hic mendacio emptorem decepit. Iidem etiam non rectè conſtituunt

hanc differentiam in ignorante venditore: Quòd ignorans tributarium eſſe agrum nullo modo tenetur, ignorãs autem quantitatem tributi, tenetur quantò minoris. Huius enim ignorantiam probabilem non eſſe dicunt, ſi ſciat quidem tributarium eſſe prædium, neſciat quantum inferre debeat tributi nomine: illius verò iuſtam, & probabilem, ſi ſit prædium hereditarium, quo exemplo vtitur Paulus in d.l. ſi ſterilis, §. 1. Atqui ſi vtroque caſu prædium hereditarium ſit, ignorantia probabilis erit. Poteſt enim heres ſcire prædiũ tributariũ eſſe, quantitatem tributi ignorare poteſt; veluti ſi nunquam tributum ipſe ſoluerit, aut nunquam ab eo petitum ſit. Ego aliam eſſe rationem exiſtimarem, cur is qui ſciens reticuit de tributo, teneatur in id quod intereſt, is autem qui de quantitate tributi mentitus eſt, teneatur quantò minoris: quòd nempè quando nihil de tributo dictum eſt, poteſt ex duplici cauſa intereſſe emptoris; & quia minoris empturus fuiſſet, ſi ſciuiſſet; & quòd ſi tributa, & vectigalia fiſco ſoluta non fuerint, prædium à fiſco diſtrahetur toto tit. C. Si propter public. penſitat. vend. fuer. celeb. vnde æquum eſt, vt ſi ſciens venditor de tributo

reticuerit,

reticuerit, teneatur, in id quod intereſt: ſi verò ignorauerit, teneatur quanto minoris. At cùm dictum quidem eſt de tributo, ſed minor tributi quantitas dicta eſt, & maior eſt reperta, non poteſt intereſſe emptoris, niſi quanto minoris empturus fuiſſet, ſi ſciuiſſet veram capitationem fundi. Et ideo ſiue ſciens, ſiue ignorans venditor, minorem capitationem fundi dixerit, tenetur tantùm quantò minoris: quoniam vtroque caſu in aliud emptoris intereſſe non poteſt. Eodem modo, cùm venditor maiorem fundi modum dixit, & minor repertus eſt, fit diminutio pretij, pro numero iugerum quæ deficiunt, ſiue ſciens, ſiue ignorans venditor maiorem fũdi modum dixerit: quia in hoc ſolum emptoris intereſt, quòd pluris comparauerit l. 4. §. fin. & l. 6. D. de actionib. empti. & l. qui libertatibus. §. fin. D. de euictionib. Planè ad exemplum ſeruitutis in tributo obtinet, vt ſi venditor de tributo, quod vni municipio debetur dixerit, de reliquis reticuerit, teneatur in id quod intereſt: etiam ſi proteſtatus fuerit, vt ſi quæ vectigalia deberentur ea emptor præſtaret: quia huiuſmodi proteſtatio ſcienti vẽditori prodeſſe non debet, d. l. 1. §. 1. & l. Iulianus. §.

idem Iulianus D. de actionib. empti.

Vtrum actio ex empto competat emptori aduerſus venditorem, quò rem ſibi traditam, & nondum iudicio euictam, venditor à nexu pignoris liberet.

Capvt. XXVI.

Actio ex empto de euictione non competit, niſi re iudicio euicta. ſi res iam tradita ſit, re nondum tradita competit ſi res aliena deprehendatur, aut pignori obligata. Opinio illorum qui exiſtimant eam competere ſi res iam tradita ſit, reiecta. Conciliata, l. Creditor §. prædium, D. de actionib. empti.

SI res vendita aliena, vel pignori obligata reperiatur, non priùs agi de euictione poteſt, quàm res iudicio euicta fuerit. l. 3. C. de euictionib. Quod verum eſt, ſi res iam emptori tradita ſit. Si nondum ſit tradita, aget emptor actione ex empto, non de euictione, ſed vt rem venditam venditor liberet, l. ex his prædijs, & l. ſi poſt perfectam, C. eod. tit. Si re iam tradita agat venditor vt pretium conſequatur, poterit eum emptor doli mali exceptione repellere, d. l. ex his prædijs: quæ in priore

parte loquitur, vbi res nondum tradita eſt: in poſteriore verò, vbi res iam tradita eſt quoniam re nondum tradita, ſemper repellitur venditor, qui pretium petit antequam rem tradiderit, l. qui pendentem, D. de actionib. empti. Sed quæritur, vtrum, ſi re iam tradita, & pretio ſoluto apparuerit rem eſſe pignori obligatam, poſſit emptor agere aduerſus venditorem, vt rem venditã à nexu pignoris liberet. Et æquius videtur eſſe vt poſſit. Nõ enim æquum eſt, vt venditor pretium in tutò habeat, emptor verò non habeat rem in tuto: nec etiam, vt deterior ſit conditio emptoris re tradita, quàm re nondum tradita. Id etiam confirmat, l. Creditor, §. prædium, D. de actionib. empti, Verior eſt tamen contraria ſententia. Nam d. l. ex his prædijs, loquitur ſolùm cum res nondum tradita eſt. Deinde certum eſt re tradita venditorem tantùm teneri, vt rem emptori habere liceat; habere verò licet, quandiu non euincitur. Nec aliquid facit d. l. Creditor, §. prædium; quæ, vt alij antè admonuerunt, non loquitur ſimpliciter de emptione; ſed de ea emptione, quæ dotis cauſa fit: cùm fundus æſtimatus in dotem datur, l. 17. Quoties. D. de iure dotium. Eius emptio-

nis longè alia ratio eſt, quàm ſimplicis emptionis. In ea enim pretium ab initio non datur, ſed quandoque ſoluto matrimonio vxori reſtituendum eſt. Et ideo ſi pater mulieris, pro ea prædiũ æſtimatum marito in dotem dederit,& pater mortuus ſit, prædium verò euictum à marito fuerit, ſine eius dolo, vel culpa, mulier agens ſoluto matrimonio aduerſus maritum exceptione repelletur, etiam ſi heres patri non extiterit. l. 49. Mæuia. §. fundus,D. ſoluto matrim. quoniam iure proditum eſt eum qui in rem ſuccedit ob dolum auctoris ſui teneri, ſi ex cauſa gratuita, & lucratiua ei ſucceſſerit: & ipſe agere velit, non tantùm excipere, l. an vitium,D.de diuerſ. & temporal. præſcript. l. apud Celſum. §. ſi quis autem D.de doli mali except. Dotis autem cauſa, ſi mulierem reſpicias, lucratiua eſt. l. fin.§.1. D.quæ in fraudem credit. ſi virum, non lucratiua, quia ſuſtinet onera matrimonij, l.ex promiſſione, D. de obligat. & actionib. Verùm ita demum mulier repelletur exceptione, ſi non apparuerit, antequam euinceretur, prædium eſſe pignori obligatum: nam ſi antè apparuerit, maritus agere debet aduerſus heredem patris vt prædium liberet, d. §. prædium: & im-

putabitur marito, ſi heredem patris ad id non vrſerit, arg. l. ſi extraneus, D. de iure dot. Si nihil ſit quod imputari poſſit marito, mulier exceptione repelletur, d. §. fundus, qui ſic conciliandus eſt cum d. §. prædium. Aliæ etiam rationes non obſtant. Nam re tradita, nulla amplius ſupereſt actio emptori in venditorem, niſi res euincatur: re nondum tradita competit actio ad rem tradendam: ergo & ad liberandam, ſi depræhendatur pignori obligata. Nec eam inæqualitatem obijcere poteſt emptor, quòd ipſe rem in tuto non habeat, cùm vẽditor prætium habeat in tuto: quia hoc contingit ex natura iudicij emptionis: quo venditor non tenetur dare, ſed tradere, & ſe euictionis nomine obligare: emptor autem tenetur dare nummos, id eſt, facere accipientis; l. ex empto, in princip. D. de actionib. empti.

Vtrum actio ex empto de euictione detur, ſi res quæ data eſt in ſolutum, euicta fuerit.

CAPVT XXVII.

Pluribus rationibus oppugnatum reſcriptum l. 4. C. de euictionib. pluribus etiam defenſum. Non eſſe abſur-

dum vt re pro re data in ſolutum, ſi ea euicta fuerit, & actio priſtina remaneat, & actio ex empto de euictione detur. Diſſolutum argumentum ex l. eleganter, D. de pignerat. actione; & aliud ex I. C. de rerum permutat.

QVOD in l. 4. C. de euictionib. dicitur, ſi antiquior creditor euicerit pignus à poſteriore creditore, cui datum eſt in ſolutum, poſſe poſteriorem creditorem agere de euictione aduerſus debitorem, qui in ſolutum dedit: quia huiuſmodi contractus vicem emptionis obtinet, alienum à iuris rationibus eſſe videtur. Primò enim hypothecaria ſolam poſſeſſionem, non dominium euocat, l. 66. ſi cùm venditor, in princip. D. eod. tit. Deinde, quò actio de euictione efficaciter detur, oportet vt omnis ſpes rem habendi abciſſa ſit: hîc autem non eſt abſciſſa, quia ſi debitor ſoluat pecuniam quam debet antiquiori creditori, habere licebit rem quæ euincitur, poſteriori, l. 35. D. eod. tit. Præterea datio in ſolutum non videtur ſimilis emptioni: nihil enim debitor accipit, pro re quam in ſolutum dat: quemadmodum in venditione, venditor pro re accipit pretium. Quinetiam is qui dat in ſolutum, non id agit, vt

obligationem aliquam contrahat,ſed magis, vt diſtrahat: quamobrem non tãquam obligatio aliqua contracta ſit, euictio præſtabitur. Sed tamen euictionem præſtari verius eſt. Satis enim committitur ſtipulatio habere licere, ſi fiat controuerſia poſſeſſionis. l. 38. ſtipulatio §. ſi quis forte, D. de verb. obligat. l. 3. in principio, D. de actionib. empti: quæ vt committatur, non exigitur, vt omnis ſpes rem habendi abſciſſa ſit, ſed vt ferè ſit abſciſſa, d. l. euictus, quæ vtitur particula ferè. Et quanuis pretium non dicatur in datione in ſolutum, ſatis tamen dictum intelligi debet, ex quo res datur in ſolutum, pro pecun. quæ debetur: quoniam res tanti æſtimatur, l. 46. eius rei D. de rei vendicat. l. 3. D. pro emptore. Habet quoque animum is qui dat in ſolutum, non ſolùm ſe liberãdi ab obligatione qua obſtrictus eſt, verùm etiam & nouam obligationem contrahendi: ex qua, non ſecus ac ex cauſa emptionis, dominium in eum qui accipit, transferatur, l. ſi vt certo, §. 1. D. commod. l. ſed & ſi res, §. 1. D. de public. in rem actione. Vtrunque igitur agit, & contrahit, & diſtrahit. Quamobrem cùm datio in ſolutum ſimilis emptioni ſit: vt ex emptione, ità ex datione in ſolutum,

actio ex empto de euictione dabitur; ſed ex illa directa, ex hac vtilis, quia verbis apertè non cōtrahitur emptio. Contrahitur negotiū vicem emptionis obtinēs, omnia habens quæ propria emptionis ſunt, non tamen emptio. Sed tamen plurimùm intereſt, an pro pecunia numerata quæ debebatur, data fuerit res in ſolutum: an verò pro ſpecie aliqua. Nam ſi pro pecunia, quaſi emptio contracta erit: & vtili ideo actione ex empto agetur, d. l. 4. C. de euictionib. & l. eleganter in princip. D. de pignerat. actione. Sin autem pro ſpecie, permutatio, aut contractus ſimilis permutationi: vnde re eui[illegible]a, non vtilis actio ex empto dabitur, ſed agetur priſtina actione: quoniā præſcriptis verbis agi non poteſt, cùm nulla ſit rei alienæ permutatio, l. 1. D. de rerum permutat. ſic conciliat. d. l. 4. & d. l. eleganter Accurſius cum l. libera, C. de ſentent. & interlocut. omnium iudicum: & l. 46. ſi quis aliam. D. de ſolut: quam probat Cuiacius cap. 38. lib. 19. obſeruat. Alij exiſtimant, ſimillimam quidem eſſe dationem in ſolutum, emptioni, ſed non propterea amittere naturam ſuam. Nam qui in ſolutum dat, dare, id eſt facere rem accipientis tenetur, d. l. ſi quis aliam, l. 20. ſi

rem l. 98. qui res, in princip. eod. tit. vnde ſi res accipientis facta non ſit, manet priſtina actio, l. 18. Deferre. §. fin. & l. Titius D. de iure fiſci. Nec tamen id impedit, quin vtilis actio ex empto detur, propter ſimilitudinem horum contractuum. Et verò vtile eſt creditori vtranque actionem competere. Quoniam re euicta, vtilius eſt agere actione ex empto, quæ eſt in id quod intereſt, quòd plerunque pretium excedit, l. ſi tibi. C. de euictionib. & re nondum euicta, non poteſt agi actione ex empto, ſed poteſt agi priſtina actione, l. Cum quis, §. qui hominem, D. de ſolut. Hæc ſolutio verior eſt mea ſententia: quam probat Donellus ad l. 4. C. de euictionib. & Cuiacius tractatu 8. ad Africanum: nec video quare ſuprà dicto loco Obſeruat. ab ea opinione diſceſſerit. Nam quod ad l. eleganter, D. de pigneratit. actione pertinet: animaduertendum eſt in ea l. agi, quando creditor ius dominij impetrauit à Principe, hoc eſt, vt ſibi liceret poſſidere pignus iure dominij: tunc enim, à pignore receſſiſſe omnino creditor intelligitur, nec ampliùs ſupereſt priſtina actio. Vt enim quando creditor diſtraxit iure creditoris pignus, ius pignoris diſſoluitur, quaſi vtriuſque volun-

tate diſtrahatur, quod vtriuſque voluntate contractum eſt. §. creditor. Inſtit. quibus alienare licet vel non: ita cùm emptore non apparente, dominiũ creditori à Principe addicitur, receſſiſſe à pignore, id eſt à pignoris obligatione creditor intelligitur, arg. l. fin. C. ſi in cauſam iudic. pignus captum ſit & l. fin. C. de iure dominij impet. Vnde cùm finita ſit pignoris obligatio, agi contraria pigneratitia non poteſt, ſed tantùm vtili actione ex empto. Non idem eſt vbi debitor rem in ſolutum dedit: tunc enim receſſum eſt ea lege, ſi res accipientis fieret: quam neceſſe eſt accipientis fieri, ex natura dationis in ſolutum. Quòd verò ad l. 1. C. de rerum permutat. qua potiſſimùm motus eſt Cuiacius, vt priorem ſententiam immutaret, ſpectat: reſpondendum meo iudicio ita eſt. Ideo in prima parte eius l. dari ſolùm actionem in id quod intereſt: quia re venali ab initio propoſita, pro ea loco pretij incerti alia re data, emptio, aut certè negotium ſimile emptioni contractum intelligitur. Hîc autem re pro re data in ſolutum, magis datio in ſolutum intelligitur contracta, quàm emptio, quæ tamen vicem emptionis obtineat: ex qua idcirco & vtilis actio ex empto detur, &

actio quoque priſtina: & in electione actoris erit, qua maluerit experiri.

Quatenus periculum alluuionis venditor præſtet.

CAPVT. XXVIII.

Aliam rationem iniri bonitatis in actione ex empto: aliam in actione ex ſtipulatu. Actionem ex ſtipulatu competere, re in totum, vel pro parte euicta: Actionem ex empto etiam acceſsionis nomine dari. In actione ex ſtipulatu, alluuionis periculum non præſtare venditorem: in actione ex empto præſtare. Cuiacij interpretatio exploſa ad l. 15. & 16. D. de euictionib. Noua earum legum expoſitio.

CERTI iuris eſt, parte pro indiuiſo euicta, bonitatem partis euictę, ex alio tempore æſtimari, ſi actione ex ſtipulatu agatur, quàm ſi actione ex empto. Nam cùm agimus actione ex ſtipulatu, eam bonitatem ſpectamus, quæ fuit cùm res vendita eſt non eam quæ fuit eo tempore, quo res eſt, euicta, l. bonitatis cum duab. ll. ſeq. D. de euictionib. Cùm verò agimus actione ex empto, bonitas ſpectatur quæ fuit cùm res euinceretur, l. 66. Si cùm venditor. §.

fin.l. 70. euicta. eod. tit. Ratio differentiæ eſt, quòd actio ex empto ſit in id quod intereſt, & bonæ fidei: in qua ideo, quanti reuera emptoris intereſt, ex æquo & bono præſtandum eſt: ergo ſi melior factus fuerit fundus, plus præſtabitur, ſi deterior, minus. At verò actio ex ſtipulatu, ſtricta eſt: inſpicitur tantùm in ea quod conuenit, non an melior vel deterior, minor, vel maior res facta fuerit. l. ex mille, eod. tit. Deductum fuit in ſtipulationem duplum æſtimationis, quæ fuit eo tempore, quo ſtipulatio interponebatur: ergo in bonitate rei æſtimanda id tempus tantùm ſpectabitur. Inde proficiſci exiſtimo, vt actio ex ſtipulatu non detur, niſi re in totum, vel pro parte euicta, l. 1. & l. Naue, eod. tit: actio verò ex empto etiam acceſſionis nomine detur, l. ex empto. § ſi quis rem. D. de actionib. empti. Et inde etiam petenda eſt propoſitæ quæſtionis deciſio. Venditor in actione ex ſtipulatu non præſtabit alluuionis periculum, d. l. ex mille, quæ de actione ex ſtipulatu tantùm loquitur. Nam ſi eius acceſſionis quæ nominatim expreſſa eſt nomine, actio ex ſtipulatu non datur: nec etiam eius, quod tacitè & latenter acceſſerit, nomine dabitur. In actione ex em-

pto contrà eſt. Ex ea enim alluuionis periculum venditor præſtat. l. 15. & 16. eod tit. Cuiacius cap. 37. lib. 26. obſeruat. ſcribit, l. 16. in princip. non de alluuionis acceſſione loqui, ſed de eo, quod ex contractu, rei venditæ acceſſit, vt ſi fundo vendito iter acceſſurum venditor dixerit, l. 6. §. ſi tibi. D. de actionib. empti: l. vero is, loqui quidem de alluuionis incremento, ſed vt omnes interpretes ſentiunt rectè, de quo conuenerat, vt ſi quandoque contingeret, eius quoque periculum, euictionis nomine, venditor agnoſceret. Quæ interpretatio non conuenit: Nam d. l. 16. diſtinguit ea quæ nominatim fundo vendito acceſſerunt, ab his quæ non nominatim acceſſerunt, vt tamen idem ius in his, quod & in illis conſtituat, nempe vt actio ex empto tam pro his, quàm pro illis detur, ſi euincantur. Atque ideo, quemadmodum in his quæ empto fundo nominatim acceſſerunt, ſi euicta ſint, ſimplum præſtatur, id eſt æſtimatio quæ tempore contractus fuit; non autem ſi res quæ acceſſit, melior facta fuerit, id præſtatur. d. l. ex empto §. ſi quis rem, de actionib. empti: ita etiam in his quæ per alluuionem acceſſerint, euictio præſtabitur; ſed in æſtimationem quæ fuit

eo tempore quo acceſſerunt, non ſi poſtea meliora facta fuerint: quod Paulum ſcripſiſſe exiſtimo in d. l. 15. cũ dicit. *Sed ſi quid poſtea alluuione acceſsit: tempus, quo accedit, inſpiciendum eſt.* quaſi dicat, non inſpicitur tempus quo euictum eſt, ſed quo acceſſit: quia ſimplum eius nomine præſtandum eſt: bonitas nempe, quæ fuit eo tempore, quo acceſſit: non quæ ab eo tempore creuit, & aucta æſtimatio eſt: quemadmodum eius quod nominatim acceſſerit, bonitas non ſpectatur, quæ fuit eo tempore, quo euictum eſt: ſic ex d. l. 16. in princip. intelligendam arbitror d. l. 15. quæ ab illa, lucem capiat.

Noua ratio conciliandæ l. fin. D. de condict. cauſa, data cum l. Naturalis, §. 1. D. de præſcriptis verbis.

Cap. XXIX.

Noua ratione conciliata l. fin. D. de condict. cauſa data cum l. Naturalis. §. 1. D. de præſcriptis verbis. Cuiacij ſolutio confutata, Donelli, Antonij Fabri.

Verissimvm eſt, ſicuti perfectâ emptione periculum emptoris eſt: ita in permutatione, pericu-

lum eſſe eius, qui rem tradidit vltro, vt rẽ aliam acciperet.l.Naturalis,§. 1.D.de præſcriptis verbis. Cui non aduerſatur.l. fin.D. de condict. cauſa data. Nam ibi Celſus, propoſitâ ſpecie, in qua non eſt emptio contracta, ſed permutatio; quando nempe pecunia data eſt, vt Stichus daretur, reſpondet, ſi Stichus mortuus fuerit, repeti pecuniam poſſe: *quòd ideo* (inquit) *tibi dedi, vt mihi Stichum dares*: id eſt, ideo tibi dedi, vt Stichum meum faceres: non feciſti, periculo tuo Stichus erit, quia hominem meum non feceris. non feciſti vero meum illo caſu, quo alienum tradidiſti: igitur illo caſu intelligendus eſt Celſus loqui: non autem quando mora facta eſt in re tradenda. Nam morâ factâ, nullum eſt diſcrimen inter emptionem, & permutationẽ. Semper enim res perit ei qui moram fecit, l. quod te, D. ſi cert. petat. l. 91. ſi ſeruum, §. ſequitur, D. de verb. obligat. Morâ quoque non factâ, nullum eſt diſcrimen. d. l. Naturalis, §. 1. niſi, vt dixi, cùm res aliena data eſt. Nam, cùm ex natura emptionis non teneatur venditor rem facere accipientis, ſed vacuam tantùm rei poſſeſſionem tradere, ſatisfeciſſe contractui intelligitur venditor, qui rem tradidit, quanuis alie-

nam: l. 1. D. de rerum permutat. l. ex empto, in princip. & l. ſeruus quem §. fin. D. de actionib. empti. At in permutatione aliud obtinet. Qui enim ex cauſa permutationis obligatus eſt, niſi fecerit rem accipientis, non videtur inpleuiſſe contractum ex parte ſua: & ideo poteſt is cui res aliena data eſt, re poſtea peremptâ, veluti mortuo Sticho, repetere quod dedit, condictione ob cauſam, quaſi ob rem, datum, re non ſecutâ, l. 3. & l. ſi pecuniam, D. de condict. cauſa data, l. cùm precibus, C. de rerum permutat. Illo verò caſu loqui Celſum oſtendunt ſequentia eius l. verba. *Finge* (inquit) *alienum eſſe Stichum, ſed te tamen eum tradidiſſe: repetere à te pecuniam potero, quia hominem accipientis non feceris*. Itaque non tres differentias ponit Celſus in d. l. fin. inter emptionem, & permutationem, ſed duas tantùm. Vnam, quæ locum habet cùm res aliena data eſt: alteram, quæ cùm propria. Si rem alienam venditor tradiderit, eo nomine non tenetur, quandiu euicta non eſt: nec ſi perit eius periculo perit, ſed emptoris periculo. Si res aliena ex cauſa permutationis data fuerit, tenetur qui dedit: & ſi res perierit, eius qui dedit periculo perit, non eius cui data eſt. Si rem propriam

priam dederit venditor, non poteſt repeti id quod ei datum eſt; ſi ſe de euictione obligare nolit: ſed agitur actione ex empto, vt de euictione caueatur, l. 2. D. de euictionibus. Si res propria ex cauſa permutationis data ſit, & is qui dedit de euictione promittere non vult, condici poteſt id quod ei datum eſt: quia is ita dare tenetur, vt euinci res ab eo cui dedit non poſſit, l. ſi rem meam, D. de ſolut. Quare de euictione ſe obligare debet, quo dediſſe videatur: & ſi ſe obligare non vult, quaſi non dederit, condici poteſt id quod ei datum eſt. Sed hoc non impedit, quin etiam ſi hoc actor maluerit, agere ipſe poſſit, vt de euictione caueatur: quod malè omnes ferè interpretes negant. Nam cùm æquè ex permutatione, atque ex emptione præſtetur euictio, non video cur agi non poſſit actione in factum præſcriptis verbis, vt de euictione caueatur: quemadmodum euictâ re, actio in factum præſcriptis verbis de euictione competit: l. 1. C. de rerum permutat. l. 1. D. eod. & l. ſi permutationis, C. de euictionib. Perperam Cuiacius cap. 29. lib. 23. Obſeruat. conciliat, d. l. fin. cum d. l. Naturalis. §. 1. hoc modo, perire quidem Stichum ei cui datus eſt, nec poſſe eum

Z

agere actione præſcriptis verbis quanti ſua intereſt Stichum ſibi dari d.l. Naturalis,§.1. ſed pecuniam quam dedit ei non perire: quod fieri dicit, exemplo emptionis. l. ſi fundus. D. Locati, cui permutatio adſimilatur. l. 2. D. de rerum permutat. Nam in cap. 25. ſuperioris libri docui apertiſſimè id non fieri in emptione. Idem eodem loco obſeruationū malè putat, eo caſu quo alienus Stichus datus eſt, condici tantùm poſſe quod datum eſt, non autem poſſe agi actione in factum pręſcriptis verbis, quandiu Stichus euictus non eſt: quod exemplo emptionis comparatum dicit. Quoniam verum quidem eſt nō poſſe agi de euictione, quandiu Stichus non euincitur; ſed poteſt agi actione præſcriptis verbis, vt is cōtractum impleat qui Stichum alienum dedit: quoniam alienum dando non videtur contractum impleuiſſe, l. 38. Cum quis: §. qui hominem, D. de ſolut. non enim videtur datum, quod accipientis factum non eſt, l. 29. qui concubinam. §. ſi heres de legat. 3. Donellus eodem penè modo ſoluit, quo Cuiacius. Perire (inquit) res dicitur periculo creditoris, quia non ampliùs creditor rem petere poteſt, quæ iam perempta eſt. Cæterum, ſi quæ alia petitio credi-

tori fuerit, ea non tolletur. Proinde poſſe eum condicere quod dedit, quaſi ob rem datum, re non ſecutâ. Hæc enim alia eſt obligatio, & actio: quod falſum eſt. Eſt enim eadem obligatio & idem contractus permutationis, in quo, cùm innominatus ſit, licitum eſt pœnitere ei, qui contractum ex parte ſua impleuit, & repetere quod dedit condictione ob cauſam, antequam alter impleuerit. Poteſt etiam agere actione præſcriptis verbis, quæ ex ipſo contractu permutationis datur, vt alter qui non impleuit cõtractum ex parte ſua, implere cogatur, l. 1. 3. & 4. C. de rerum permutat. l. 1. D. eod. d. l. Naturalis. §. 1. Duplex igitur actio eſt: vna, & eadẽ obligatio. Vna actio competit ad implendum contractum: altera ad diſſoluendum. Addit Donellus, nihil obeſſe quòd hoc modo nihil pereat creditori, ſi quod dedit, recipiat. Satis enim (inquit) perit, quòd Stichi æſtimationem petere non poteſt, ſi forte is duplo pluris fuerit, quàm quod datum eſt. At ſi econtrà duplo minoris fuerit quàm quod datũ eſt, non peribit Stichus creditori, ſed maximè lucro ei erit. Itaque hæc ſolutio Donelli reijcienda eſt. Antonius Faber lib. 6. Conjectur. cap. 10. aliter ſoluit. Dicit enim, cõ-

tractus do, vt des, quem alium facit à permutatione, contra manifeſta verba d.l. Naturalis. §. 1. eam eſſe naturam, vt ſi ex vna parte datũ ſit, rei, quæ ex altera parte dari debet, periculum ſit eius qui nõ dedit. Sed non eam eſſe eius naturam oſtẽdit Paulus in d. l. Naturalis. §. 1. quem §. malè Antonius Faber accipit, quãdo id quod tibi dederim tale eſt, vt facile amitti poſſit: veluti, ſi vt proponit Paulus, ſcyphos tibi dederim, vt mihi Stichum dares. Aliud eſt enim (inquit) ſi pecuniam tibi dederim, aut aliquam aliam rem immobilem, quæ non ſit facilè peritura. Verùm non eſt veriſſimile, Paulum in ea l. Naturalis, ex profeſſo contractuũ innominatorum naturam explicantem, exemplum dediſſe, quod contractus de quo ageretur naturam non patefaceret. Nec iniquum eſt, vt Stichus periculo ſit eius qui ſcyphos dedit, quia ipſe creditor eſt, alter debitor. Generale autem in iure eſt, interitu ſpeciei debitorem liberari, ſi ſine dolo eius, aut culpa res perierit. l. quod te, D. ſi certum petat. l. ſi ex legati cauſa. D. de verb. obligat. Et hoc ſignificat Paulus in d. l. Naturalis. §. 1. his verbis, *periculo meo Stichus erit, & tu duntaxat culpam præſtare debes.* Multa alia falſa ponit in eo

capite Antonius Faber, quæ hic refellere piget: quemadmodum & alias interpretum ſolutiones quibus nituntur hæc duo iura, quæ nullo negotio conciliauimus, in concordiam adducere.

De Origine Feudorum.

CAPVT. XXX.

Origo Feudorum antiquiſſima. A Longobardis aut aliis populis Septentrionalibus, qui Galliam, aut Italiam occupauerunt rectius eam duci, quam à cæteris populis. In Francia primum Capetum non feciſſe feuda hereditaria contra Connanum, & Hotomanum.

FEVDORVM origo antiquiſſima eſſe dicitur in §. 1. tit. 1. lib. 1. feudorũ. Quidam à Gallis, alij à Germanis, alij à Longobardis, alij verò à Romanis eam repetunt. Probabilius videtur à Lõgobardis repetere: nam ex conſuetudinibus Mediolanenſium, & Longobardorum, iura feudorum habemus. Deinde apud Paulum Diaconum lib. 5. hiſtoriæ Longobardorum cap. 11. legimus, iuſſu Grimoaldi Longobardorum Regis, certas poſſeſſiones in Italia datas Alzeconi Duci Bulgarorum: ita tamen vt

non Dux, ſed Gaſtaldus vocaretur. Eſt verò feudum Gaſtaldiæ. Ducatus quoque apud eos tranſmiſſos ſæpe ad hæredes legimus libro 4. cap. 15. lib. 6. cap. 10. 16. & 17. Pauli Diaconi. Si à Longobardis tantùm, originem feudorum ducere non placuerit: ab his, & ab aliis populis Septētrionalibus, qui vel Galliam, vel Italiam occupauerunt, non erit alienum repetere. Horum enim Principes veriſimile eſt, quò ſibi, & ſuo generi, & ſuæ etiam genti firmarent imperium, deuictarum terrarum dominia, illuſtribus viris gentis ſuæ conceſſiſſe. Huius rei non leuis coniectura eſt, quòd plerunque Reges ita facere ſoliti ſint. Albertus Krantzius cap. 24. libro 6. Daniæ ſcribit, Buriſium quendam ex nobilibus Daniæ dixiſſe Regi Valdemaro, qui Kanutum filium regni cōſortem adſciſcere cupiebat: *Quoniam Rex dignitatem regiam, quæ hactenus procerum electioni ſuberat, hereditariam facere inſtituis, ſi in proximos beneficio impenſo perpetuitatem induxeris, tibi in reliquũ obligatiores efficeres, vt ad liberos quiſque ſuos adminiſtrationem acceptam tranſmitteret.* Primùm igitur vt imperium ſuum ſtabilirent, Principes adminiſtrationes vrbium, vicorum, pagorum; dominia plerunque Duci-

bus,& fortiſſimis gentis ſuæ viris,de ſe bene meritis conceſſerunt: quorum poſteri progreſſu temporis illa iure hereditario habuerunt: quemadmodum ipſi Principes, iure hereditario,ad poſteros regna ſua cœperunt tranſmittere. In Hiſpania, ſcribit Rodericus Santius cap. 19. partis 4. hiſtor. Hiſpanicæ, Henricum II. Regem Caſtellæ cum ſpurius eſſet, quò regnum ſibi & ſuis firmaret, Barones & Proceres regni magnis dominijs donaſſe; & ex illo turbulento tempore, Nobiles & Barones Hiſpaniæ, valde ditiores, & potentiores effectos, non ſine regiæ coronæ diminutione. In Annalibus Burgundiæ legimus,& apud Paulum Aemilium lib. I. de rebus geſtis Francorum, Clotarium II. Regem Francorum, quò ſibi conciliaret animos Burgundionum, ne deſiderio Regum ſuorum ampliùs tenerentur, Duces creaſſe in Burgundia, & Auſtraſia, ea lege vt reuocari non poſſent; & ſucceſſiſſe in his filium, patri; Vernario, Godinum: in quo finem Duces illi acceperunt. Referunt Blondus libro 8. I. decadis,& alij Hiſtorici Italiæ, Longinum primum Exarchum Italiæ, qui Rauennæ ſedem Exarchatus locauit, prouinciarum Conſularibus, Correctoribus, & Præſidi-

bus ſublatis, ſingulis ciuitatibus ſingulos Duces impoſuiſſe: vnde originem Duces Italiæ habuerunt. Quid Hugo Capetus Rex Franciæ fecerit, omnibus notum eſt. Sed pati non poſſum Hotomanum cap. 16. Francogalliæ, Connanum lib. 2. cap. 9. Commentar. Iuris ciuilis ſcripſiſſe, primum Capetum feuda feciſſe hereditaria, dignitates, quæ erant temporariæ, perpetuas. Nam quaſdam quidem fecit, ſed non omnes. Erant ante Capetum Duces Normaniæ, Comites Flandriæ, Toloſæ, & alij, qui ad poſteros ſuos, dignitates, & beneficia ſua, tranſmittebant. Apud Franciſcum Tarapham lib. de Regibus Hiſpaniæ, & Luc. Marineum Siculum lib. 9. de rebus Hiſpaniæ legitur, Ludouicum Pium Regem Frãciæ, Iamfredo ſeu Griffeo II. quicquid in Barcinonæ, Ruſcinonis, & Ceritaniæ principatu iuris habebat, totum & integrum liberaliter dediſſe, ea lege, vt propriis viribus aduerſus Arabes prouinciam tueretur. In feudum verò conceſſiſſe certum eſt. Nam Comites Barcinonenſes ſemper Regem Franciæ ſuperiorem obſeruarunt: donec temporibus Philippi III. Regis Franciæ ceſſum eſt hoc ius in pactis matrimonialibus, quæ vocant, inter

eum Philippum III. & Eliſabetham filiam Iacobi I. Regis Aragonum: aliis in eius iuris vicem ceſſis Regi Francorum. Erant igitur ante Capetum quædam feuda temporaria, quædam perpetua. Et ſic in Hiſpania eodem fermè tempore fuiſſe feuda, quæ ad tempus haberentur, legimus apud Rodericum Toletanũ cap. 15. lib. 7. de reb⁹ Hiſpaniæ, vbi ſcribit his verbis, Sancium III. Regem Caſtellæ decedentem, vocatis magnatibus, mandaſſe omnibus, vt terrarum dominia, quæ ab eo tenerentur feudo temporali vſque ad annos quindecim retinerent, & tunc filio ſuo fideliter reſignarent. Quæ igitur feudo temporario tenebantur fecit hereditaria Capetus, non quæ, perpetua iam erant, & hereditaria.

FINIS.

INDEX RERVM, ET verborum quæ in his libris continentur.

A

ABsens magiſtratus demãdare merum Imperium poteſt. 123.a

Abſtinente filio ſuo herede, nudo nomine confirmantur tabulæ pupillares. 156.b.157.158.159.160.

Acceſſionis nomine non dari actionem ex ſtipulatu, dari actionem ex empto. 172.b.& 173.

Actio ex empto de euictione non competit niſi re iudicio euicta. 167.b.

Actio ex empto de euictione ex datione in ſolutum datur. 171.a.

Actio præſcriptis verbis ex permutatione datur, vt de euictione caueatur. 175.a

Actionibus pluribus ex contractu concurrentibus, vnâ electâ, altera agi non licere 97.a.& 100 a

Actionibus pluribus ex delicto concurrentibus, vnâ electâ, altera agi licere. 100.a

Actionibus pluribus ex delicto concurrentibus multum intereſſe an plura facta & delicta in vna re admiſſa ſint, an verò vnum tantùm factum ſit, & vnum delictum, vel plura delicta. 97.98.& 99.

Actionibus pluribus ex delicto concurrentibus quando altera alteram tollat. 101.& 102.

Adoptio poteſt fieri in regnis hereditariis deficiente regia familia: non poteſt in legitimis. 56.

Aegypti antiquũ regnum hereditarium 33.b. recens electiuum fuit. 24.b

Aethiopiæ antiquum regnum electiuum. 21.b recens legitimum. 40.a quod nunquam defertur

fœminis. 62.b

Africæ regna hodie hereditaria. 39. a. de antiquis vide. 41.a

Alienare non poteſt Princeps regnum, vel partem regni. 135.a

Alluuionis periculũ venditor præſtat in actione ex empto, non in actione ex ſtipulatu. 172.b.& 173.

Angliæ Reges ius habent nominationis in beneficijs 13.b.& 15.b

Angliæ regnum olim hereditarium. 78.a. hodie legitimum 40.a in eo fœminæ ſuccedunt. 58.b

Angli à quo tempore Britanniam inſulam Angliam nominarunt Britanno nomine in ea extincto. 65.b

Appellatio olim Romæ erat à Regibus ad populum. 114.b

Aquitaniæ Ducatus feudũ. maſculum. 70 a

Arabum regnum electiuũ 28.b

Aragoniæ regnum hereditarium 37. in quo fœminæ ſuccedunt 58. & 60. b feudum olim fuiſſe regni Caſtellæ & Legionis. 45.a

Armeniæ antiquum regnum hereditarium. 55.b

Artenſium Comitatus olim feudum non maſculum. 70.b

Athenienſium antiquum regnum hereditarium. 39.a

Auſtriæ ducatus, feudum maſculum. 70.a

B

Bauariæ regnum agnouit Regem Franciæ ſuperiorem. 43.a

Bella non poterat Populus Romanus indicere ſine Senatu. 116.a & 142.a

Bohemiæ regnum ab Imperio pendet. 44.b

Bonitas partis euictæ alio tempore ſpectatur in actione ex empto, alio in actione ex ſtipulatu. 172.a

Britanniæ Reges non minùs quàm Duces ſuberant Francorum Regi. 43.a

Britanniæ ducatus vnio cum regno Franciæ iure facta. 65.b

Burgundiæ regnum antiquum hereditarium. 38.b nouum initio electiuum, poſtea hereditarium. 31.a agnouit Regem Franciæ ſuperiorem 43 a. in eo fœminæ ſucceſſerunt. 58.a

Burgundiæ ducatus primo feudum non maſculum fuit, deinde maſculum factum eſt 70.b. optimo iure à Rege Franciæ poſſidetur. 64.a

C

Caſtellæ reguum in Hiſpania principiò hereditarium, 36.b poſtea legitimum 40. a. ab eius ſucceſſione fœminæ non repelluntur. 58.a & 60.b
Catabanenſium regnum legitimum. 41 a
Ciuili viro experientia rerum habenda. 110.a
Ciuili viro hiſtoriarum cognitio & ciuilis philoſophiæ neceſſaria. 109.b
Ciuili viro neceſſaria cognitio iuris publici vicinorum regnorum, & rerumpublicarum. 109.b
Ciuili viro noſcenda eorum qui ſummam reipublicæ tenent natura, & vulgi ſemper. 110.a
Ciuili viro qualis cognitio Theologiæ neceſſaria. 109.b
Ciuilem virum ſine legum ſcientia neminem fieri poſſe. 108.a
Conſortes Imperij ſolum Principem eligere poſſe. 23.a
Conſortes regni adſciſci ſoliti nullum præbent argumentum electionis in regno. 50,a
Conſulis Romani poteſtas, 114.b & 119.b
Contractum Do vt Des non eſſe alium à contractu permutationis. 176.a
Controuerſiam de ſucceſſione regnorum, quæ ſuperiorem agnoſcunt, dirimendam à ſuperiore. 45.a
Controuerſiam de ſucceſſione regni in regnis hereditarijs poſſe iudicio Principis de cuius ſucceſſione agitur dirimi: non poſſe in regnis legitimis. 55.b
Conuentionis publicæ definitio. 131.a
Conuentionis publicæ latior tractatio cur omiſſa in libris iuris. 130,b
Conuentiones publicæ quænam habendæ ſint. 132,& 141.
Conuentionum publicarum diuiſio, & ſubdiuiſio. 133.a
Conuentionum publicarum, & priuatarum differentiæ. 140.a
Conuentiones non ſunt probandæ quæ fiunt cum Principe ſucceſſuro iure hereditario, vel lege. 133 b
Conuentionum variarum exempla inter eos qui de regnorum ſucceſſione diſceptant 135. b quænam eiuſmodi conuentiones requirant. 134.
Conuentionum variarum exempla in pactis matri-

monialibus cum Reginis 136.a

Conuentionibus publicis, & priuatis adſtringitur Princeps omni iure, & quibus non adſtringitur 132 & 133.

Conuentionibus publicis poteſt auferre res ſubditorum Princeps non poteſt priuatis. 140.b

Conuentum regni is ſolus poteſt indicere qui regnum vel regni procurationem habeat. 67.b

Cretæ antiquum regnum hereditarium 35.b

D

Daniæ regnum electiuum. 25.b

Datio in ſolutum ſimilis emptioni. 169.b & 170.

Debitor creditori legans non intelligitur legare animo compenſandi. 90.b

Deſignatio ſucceſſorum in imperio Orientis, & Occidentis frequens: eius ſolennia. 23.b

Deſignatio ſucceſſorum vbi fieri ſolet. 23 b & 27.

Deſignatio ſucceſſorum in regno fieri ſolita non eſt certum regni electitij indicium. 26.b.

Deſignationis ſucceſſoris alia vis in regno ſucceſſiuo, alia in electitio. ibidem

Deſignationes ſucceſſorum plurimùm differre ab honoribus, & titulis, qui primogenitis, & proximioribus ex genere regio hodie deferuntur. 40.b

Deſignandum aut declarandum eſſe ſucceſſorem in Conuentu regni, quando metus ſubeſt ne poſt mortem Regis de regno ſit controuerſia. 50.a

Dictatoris Romani poteſtas. 20.b & 119.b

Diſponere non poteſt Princeps de regno ſuo vel inter viuos, vel teſtamento in regnis electiuis, & legitimis. 36.a & 135.a

Diſponere non poteſt in regnis hereditarijs, præterquam in eos qui ex genere regio ſunt, quandiu regium genus ſupereſt. ibidem

Diſponere poteſt in regnis hereditarijs nullo ex genere regio ſuperſtite: non poteſt in legitimis. 55.& 56.

Diſpoſitio Regis facta in Conuentu regni nullum argumentum præbet regni electiui. 49.b

Diuiſio vel partitio non fit regni electiui, aut legitimi. 35.a & 53.a

Dos promiſſa genero non tam debetur filiæ, quàm genero. 91.b
Dos, quam extraneus dedit pro muliere, quando ſoluto matrimonio extraneo, non mulieri reſtituenda ſit. 89.a
Dos ſoluto matrimonio filiæ, & patris eſt. 91.b
Dotis legatum vtile. 95.b
Dotem imputari in legitimam, legatum non imputari in dotem. 91.a
Dotem quando maritus cogitur promittere ſe alteri reſtituturum, quàm vxori 89.
Dux belli quando pacem, & inducias cum hoſtibus facere poſſit. 141. & 142.

E

ECcleſia Romana ſemper habuit primatum. 17.a
Electio Epiſcoporum per laicos non omnium antiquiſſima contra Balſamonem. 4.b vnde Populus id ius habuerit & optima ratione ſublatum. 10. & 11.
Electio Epiſcoporum omnium antiquiſſima ſuffragijs Epiſcoporum comprouincialium. 4.a. & 6.a. in Gallia aliquando vſurpata. 10.b
Electio Epiſcoporum à clero ciuitatis. 5.a
Electio Epiſcoporum à clero & populo 5. b. 9. a in Gallia quandoque vſurpata. 10.b.
Electio Epiſcoporum per clerum, populum, & Regem. 5. a
Electio Epiſcoporum per ſolos imperatores & Reges. 5.a 11.b
Electio Epiſcoporum per Summum Pontificem, aut Patriarchas. 5.b.
Electio Epiſcoporum à clero, populo, Rege, & Summo Pontifice. 5.b
Electio Epiſcoporum à comprouincialibus Epiſcopis, clero, & populo. 6.b & 7. a
Electio Metropolitanorum non à Metropolitanis fieri ſolita contra Balſamonem. 8.a
Electio Metropolitanorum, & Summi pontificis facta olim à comprouincialibus Epiſcopis, clero, & populo. 8.a
Electionis Epiſcoporum confirmatio Metropolitani eſt, aut Primatis. 15.b 16. a & 18.
Electionis Epiſcoporum confirmatio abantiquo pertinet ad Summum Pontificem. 18. & 19.
Electionis Summi Pontificis confirmatio cur olim

ab Imperatoribus, aut Exarchis Italiæ petita fuerit. 12.b

Electionibus Epiſcoporum an intereſſe potuerit Metropolitanus. 8.b

In electionibus Epiſcoporum cur deſideratus fuerit laicorum conſenſus 10.a

Eligendi Epiſcopos primus modus ſuffragijs cum ſorte. 4. a

Electiui regni duo genera. 21.

In electiuis regnis plurimùm intereſſe an Populus ius ſuffragij habeat, an verò certis tantùm perſonis attributum ſit. 49.a

Elidis regnum hereditarium. 35.a

Emptionis quæ dotis cauſa fit, & ſimplicis emptionis diuerſa ratio. 168. a

Emptione contracta, periculum rei venditæ contingens ad emptorem pertinere. 85.

Emptione contracta, publicationis periculum venditoris eſſe, non emptoris. ibidem.

Epiri regnum hereditarium. 35.a

Euictio quatenus acceſſionis nomine præſtetur. 172. b. & 173

Exheredem filium Rex in regnis hereditarijs facere poteſt: nō in legitimis. 54.b

Exiſtentia ſui heredis confirmat tabulas pupillares. 156.b & ſeq.

F

Faida i. bellum, aut inimicitia. 71.b

Feudum maſculum, & non maſculum quodnam dicatur. 69.

In feudum quando fœminæ ſuccedant. 68.b 69.& 70.

In feudum quæ regna habeantur. 42.43.44. & 45.

Feudi refutatio in gratiam filiæ conſenſum agnatorum deſiderat, non redemptio feudi, quæ fit à filia. 72.a

Feuda ante Capetum fuiſſe hereditaria. 178. b

Feudorum ius, quod fœminas à ſucceſſione feudi repellit, non eſſe inhumanum. 74.a

Feudorum origo. 177.a

Fideicommiſſa odioſa. 151.a

Fideicommiſſa nunquam præſumenda niſi ex verbis teſtatoris colligantur. 155.a

Filiæ legatum relictum à patre, qui dotem exegit à marito ſemper relictum intelligi animo compenſandi. 94.

Filia heres inſtituta à patre

ſemper intelligitur heres inſtituta animo compenſandi dotis debitum. 95.

Filios patrum heredes eſſe quis primus apud Mauros induxerit. 34.a

Flandriæ Comitatus feudum non maſculum. 70.b

Fœdus vt in perpetuum contrahatur cum gente contrahendum eſt. 139.b

Fœdera cum quo contrahantur plurimùm intereſſe. 138.b

Fœdera in certum tempus aliquando contrahi, aliquando in incertum, aliquãdo nullo expreſſo tempore. 138 b

Fœderum & pacis arbitrium penes Principem eſſe 114.a. & 137.b

Fœderum icendorum varij mores. 137.b

Fœderum ſeruandorum iuramenta renouari ſolita. 138 a

Fœderum tria genera. 131.a

Fœmina excluſa, excludi deſcendentes ex fœmina in feudi ſucceſſione. 73 b.& 74.

Fœminæ excluduntur à ſucceſſione regni & à ſucceſſione panagiorum. 64.a

Fœminas non arceri lege diuina, aut naturæ à regnorum ſucceſſionibus. 57.b

Fœminas non repelli à regni procuratione in his regnis, in quibus prohibentur ſuccedere. 66.b

Fœminas repelli in quibuſdam regnis ab eorum regnorum ſucceſſione: non repelli maſculos ex fœminis. 50.a

Fœminas, vel deſcendentes ex fœminis, ex recta linea deſcendentium præferri maribus ex latere coniunctis in regnorum ſucceſſione. 60.a & 73.a

Fœminas, vel deſcendentes ex fœminis excludi deficientibus etiam omnibus maribus à regni ſucceſſione, à qua lege excluduntur. 64.a

Fœminas, vel deſcendentes ex fœminis repulſos aliquando à ſucceſſione iure eis debita, ne populus externo Regi ſubijceretur. 64.b

Franciæ Reges quodnam ius olim habuerint, & quodnam hodie habent in eligendis Epiſcopis. 13.& 15.

Franciæ regnum nunquam fuiſſe electiuum 29.a & 46.

Franciæ regnum in prima, & ſecunda Regum familia hereditarium fuiſſe: in tertia legitimum. 46. & ſeq.

& ſeq.

Francos Principes ex fœminis deſcendentes ſemel excluſos fuiſſe à ſucceſſione regni Caſtellæ, bis à ſucceſſione regni Aragoniæ. 59. b. 66 a

Francos ſecundum ius Romanum ab antiquo lites definiiſſe. 107.a

G

Allogræcorum regnum legitimum. 39.b

Germaniæ antiqua regna electiua. 25.a

Germanorum Imperium principio ſucceſſiuum fuit: deinde electiuum factum eſt. 25.a & 31. a

Germanorum Imperatorum ius in eligendis Epiſcopis. 13.14.& 15. quantum eo iure abuſi fuerint. ibidem

Gotthorum regna in Hiſpania, & Italia electiua fuiſſe. 28.b

Græcorum Imperatorum ius, quod in electionibus Patriarcharum. & aliorum Epiſcoporum vſurparunt. 11 & 12.

Græcum Imperium electiuum. 22.b

H.

Hebræorum regnum legitimum. 39. b in quo fœminæ non ſuccedebant. 39.& 61. b

Hereditarij regni, & legitimi differentiæ. 53.b

Hiſpaniæ Rex olim ius habuit eligendi Epiſcopos. 13.a.

Hungariæ Reges ius eligendi Epiſcopos vſurparunt. 13 b

Hungariæ regnum electiuum. 27.b

I

Id quod intereſt duplex, aliud quod circa rem, aliud quod extra rem conſideratur. 164.a

Imperium aut merũ aut mixtum, non triplex contra Goueanum. 117.b & 127.a

Imperium merum quodnam ſit 117.b eius definitio. 120.b

Imperium merum olim apud Germanos, & Gallos habitum Deorum, non hominum. 118.a

Imperium merum hodie in omnibus ferè regnis iure magiſtratûs competit. 124.a

Imperium merum penes eum ſemper reſidet, penes quem reipublicæ ſumma eſt. 117 b

Imperium merum poterat abſens magiſtratus demandare. 123.a

Imperium merum præſens magiſtratus quando demandare poterat. 113.b
Imperium merum Principes in imperio dominico paucis tribuunt. 118.a
Imperium merum Princeps in imperio regio alijs tribuere debet: & quibus debeat. 118.b
Imperium merum priuatis demandari non debet: demandatum tamen Romæ fuit. 119.
Imperium merum quod lege dabatur, poſtea cœpit dari conſtitutionibus, primò de ſingulis magiſtratibus, deinde de vniuerſis latis. 119.& 124.
Imperium merum quod iure magiſtratûs hodie competit, non poſſe demandari: merum eſſe non mixtum. 123.b & 124.b
Imperij meri non omnes partes Romæ Principes tribuere ſolitos. 120.a
Imperium mixtum quodnam. 127.b
Imperij mixti non omnes partes, omnes Magiſtratus habent. ibidem
Imperium hominum duriùs patiuntur homines, quam legum. 121 b
Iudices dati olim à Principe in cauſis capitis, vt à Prætore in cauſis ciuilibus. 119.a
Iudicia alia ordinaria, alia extraordinaria. 121.a
Iudicij publici exercitionem non aliam eſſe à mero Imperio. 123.a
Iuſiurandum fidelitatis præſtari ſolitum liberis Regis viuente Rege, in quibuſdam regnis electiuis, & in quibuſdam hereditarijs. 50.b
Iuriſconſulto non eſſe neceſſariam ſcientiam iuris publici. 108.a
Iuriſconſulti Romani veteres quales fuere 105.a imperiti plerique iuris publici. 1.b
Iuriſdictio aut ciuilis, aut criminalis eſt. 115.a
Iuriſdictio criminalis merum imperium eſt. ibidem.
Iuriſdictionis verbum variè in iure accipi, propriè pro ciuili iuriſdictione. 128. & 129.
Ius aliud publicum, aliud priuatum. 1.a
Ius pontificium, Ius augurale, Ius ſacrum, Ius ſenatorium partes iuris publici. 2.a
Ius publicum in quibus conſiſtat. 4.a
Ius publicum quatenus tractetur in libris iuris 3.a
Iuris priuati ſcientia omnibus patet, non Iuris publici. 2 b
Iuris publici ſcientia ali.a

à ſcientia Iuris priuati. 2.a 60.
Iuris publici ſcientiam non parum conferre ad ſcientiam Iuris priuati, plus tamen conferre ad cognitionem iuris publici, ſcientiam Iuris priuati. 2.b. & 108.a
Iuris Romani cognitionem apud alios populos neceſſariam. 106.a
Iuris Romani cognitio neceſſaria ad Iuris publici diſtributionem. 107.b
Iuris ſcientia quantùm cæteras nationes Romani ſuperarunt. 106.a
Iura & notæ ſupremæ poteſtatis. 114.a
De iure regnorum non ſunt coniecturæ capiendæ ex rebellionibus procerum vel populi. 51.a

K

Kalecutium regnum legitimum. 41.a

L

Lacædemoniorum regnum legitimum 39.b
Longobardorum regnum electiuum. 28.b
Legionis regnum in Hiſpania hodie legitimum, olim quale fuerit vide. 36.b & 40.a & 41.a in eo ſuccedunt fœminæ. 58. &
Lex apud Perſas ne quis regnum occupet, niſi regia ortus progenie. 29.b
Lex apud Saxones, qua fœminæ à ſucceſſionibus repelluntur. 65.a
Lex in Dania exæquans fœminas maribus in legitimis ſucceſſionibus. 68.a
Lex quæ mulieres repellit à regnorum ſucceſſionibus non propria Francorum 61.a. eius duæ præcipuæ rationes. 61.b
Lex Salica vbi lata fuerit. 62.b
Lex Salica vnde nomen habet. ibidem.
Lex Salica vſu ſublata in Francia excepta ſucceſſione regni. 68.b
Lex Salica prima, ſecunda, & tertia, Regum progenie obſeruata. 64.a
Lex Salica obſeruanda in prouinciis armis Francorum adquiſitis. 64.a
Lex Sempronia non ademit ærarij diſpenſationem Senatui. 112.a
Lex Voconia cur ſublata a Iuſtiniano. 68.a
Leges neceſſariæ ad ciuilem hominum vitam. 103.a
Leges neceſſariæ ad ſtatum rerumpublicarum conſtituendum, & conſeruandum. 5.a. 103.b

Leges quomodo ferendæ ſint in ſtatibus mixtis. 116.b
Leges Romæ ferri non poterant, niſi de quibus in Senatu præconſultatum fuiſſet. 115.b
Leges ſemel conſtitutæ non immutandæ 104.a
Leges ſolent ad reipublicæ formam quæ in ciuitate conſtituta eſt, accōmodari. 107,b. 114.a
Legum interpretatio neceſſaria. ibidem
Legum nomine nuncupanda ſunt quæ in Conuentibus regni conuenerint. 134.a
Locatoris, & venditoris differentia, cum ignorans rem alienam vendidit, vel locauit. 88.a
Locatoris ſcientis, & ignorantis, qui alienum prædium locauit, differentia. 87.b

M

Macedonum regnum hereditarium. 33.a
Magiſtratus ſummus alius eſt à Rege 19.
Magiſtratus ſummus vt quis habeatur, quænam ſint neceſſaria. 20.a
Magiſtratuum ſummorum nomina apud varias nationes. 19.b
Magiſtratuum Imperium in quibus conſiſtat. 126.b
Magiſtratus quoſdam grauiorem quàm alios pœnam irrogare, aut multam dicere potuiſſe. 127.a
Maſculus natus ex maſculo; quando excludat maſculum natum ex fœmina in ſucceſſione feudi. 74.b
Maſculus natus ex fœmina, an fœminæ præferatur in ſucceſſione regni, vel feudi. 74.b
Maſouiæ Ducatus in Polonia feudum maſculum. 70.b
Mexicum regnum legitimum. 41.a
Morâ factâ nullum eſſe diſcrimen inter emptionem, & permutationem. 174.a
Morem clypeo impoſitum Regem eleuandi, electionem non præſuppone re. 48.a
Mores veteres in icendis fœderibus. 137.b
Moſcouiæ Principatus legitimus. 42.a

N

Nauarræ regnum primò hereditarium, deinde legitimum. 37.a 40.a in eo fœminæ ſuccedunt. 58.& 60.b
Neapolitanum regnum olim hereditarium 38.a. in

eo fœminæ poſſunt ſuccedere. 58.a

Nomadum regnum legitimum & quid de Numidiæ regno. 41.a

O

OBligatio naturalis vna, non duplex in ſpecie l. 3. Frater D. de condict indeb. 79.b

Obligatio naturalis adquiſita ex contractu filij, filij eſt & patris ſimul, ibidem. eam adquiri peculio. 80.a

Obligatio naturalis confunditur adquiſitione hereditatis. 81.a

Obligatio naturalis confunditur adquiſitione peculij. 83.a

Obligationis naturalis confuſionem fieri alio modo per adquiſitionem peculij, quam fiat per adquiſitionem hereditatis. ibidem.

Obligationis naturalis effectus. 76.b

Obligationis naturalis effectus inter patrem, & filium, vel inter filios qui ſunt in patris poteſtate, quandiu eſt in poteſtate filius. 77.b

P

PArthicum regnum hereditarium. 32.a

Pater ſolus rectè agit de dote, vbi filia iuſtam cauſam contradicendi non habet. 94.a

Peculium filij profectitium eſt res patris, habetur tamen quaſi patrimonium filij. 79.

Perſarum regnum. 1. 2. & 3. hereditarium 32.a in eo fœminæ non ſuccedunt. 62.a

Pœna mortis in Aethiopia non vſitata. 118.b

Pœnam mortis infligere Romæ ſolus populus poterat. 118.a

Pœnam non eſſe grauiorem reticentiæ, quàm mendacij. 166.a

Pœnam omnibus criminibus legibus ſtatui optimum. 121.b

Pœnæ arbitrariæ cur factæ ibidem.

Pœnæ certæ iure Romano olim in publicis, & priuatis cauſis definitæ. 120.a

Pœnæ potius mediocres, quàm maximæ legibus ſtatuendæ. 122.a

Poloniæ Reges ius habēt nominationis in beneficiis. 15.b

Poloniæ regnū electiuum 25.b. ſtatus mixtus. 116.a

Portugalliæ regnum olim feudum regni Caſtellæ & Legionis 45.a in eo regno fœminæ ſuccedunt. 60.b

Poſſeſſio amittitur pignoris datione. 96.a
Poſſeſſio amittitur precarij rogatione. ibidem.
Primogenituræ ius non ſeruatur in regnis hereditarijs teſtamento facto. 34.a & 136.a
Primogeniti, & proximiores ex Regis ſtirpe habent prærogatiuam in quibuſdam regnis electiuis, vt cæteris præferantur. 25.a
Primogenitæ prælata ſecundogenita in regno Caſtellæ, ne Hiſpani Francum Principem haberent. 59.b
Primogenitis in plurimis regnis honores, tituli, Principatus delati, auguria proximè obuenturi regni. 40.b
Principes arbitrio ſuo malunt rempublicam regere quàm legibus. 3.b

R

Regium nomẽ inuiſum apud quaſdam nationes. 20.a
Regnum quod iure hereditario defertur, non per omnia patrimonium Principis cenſeri. 135.a
Regni diuiſio in electiuũ, & ſucceſſiuum. 21.a & b
Regni electiui diuiſio in duo genera. 21.b
Regni electiui prioris, & poſterioris generis differentiæ. 29.b
Regni ſucceſſiui diuiſio in hereditarium, & legitimum. 31.b 53.a
Regni hereditarij & legitimi differentiæ. 53.b
Regna antiqua, in quibus olim fœminæ ſucceſſerunt. 58.a
Regna antiquiſſima ex genere deferri ſolebant. 30.a & 32.a
Regna donata populo Romano hereditaria fuiſſe. 36.a
Regna electiua an antiquiora ſint ſucceſſiuis. 30.a
Regna electiua, in quibus filij Regum prærogatiuam habebant. 25.& 26. alia in quibus Reges eligi non poterant. 24.b
Regna electiua in quibus ſæpe Reges teſtamento de regnis ſuis diſpoſuere. 25.b
Regna electiua ſæpe fieri ex ſucceſſiuis, & contrà ex electiuis ſucceſſiua. 30.b
Regna eſſe poſſunt ab ipſa origine ſucceſſiua. 31.a
Regna quorum Reges alium ſuperiorem obſeruant, impropriè regna dici. 42.b.
Regnorum eiuſmodi confirmatio à ſuperiore petenda ibidem. & 43. b & con-

uentiones de ſucceſſione eorum regnorum initæ à ſuperiore confirmandæ. 36.a

In regnis electiuis, mortuis Regibus licere immutare reipublicæ ſtatum: non licere in hereditarijs, aut legitimis. 56.b

In regnis hereditariis, & legitimis extinctâ familiâ Regis idem licere. ibidem.

In regnis hereditarijs quandoque ſucceſſionem approbari procerum, vel populi ſuffragijs. 47.a. & 55.a

Rex quis propriè dicatur. 20.a

Reipublicæ adminiſtrandæ pars maxima in legibus nouis ferendis, & veteribus emendandis, vel abrogandis conſiſtit. 107.b

Reipublicæ Statum aut ſimplicem eſſe, aut mixtum. 113.b

Romæ primùm regia poteſtas fuit, deinde optimatum, poſtmodum popularis & rurſus regia. 5.b

Romanum antiquum regnum electiuum. 21.b

Romanum Imperium electiuum ſuffragijs maximè militaribus 22. a & 24.a plerunque factionibus aulicis adquirebatur. 24.a. & 26

Romani regni ſtatus mixtus ex tribus gubernationum ſpeciebus. 114.b reipublicæ Romanæ ex duabus ibidem.

Romani quomodo ſe geſſerunt erga ſubdita imperio ſuo regna. 43.b & 44.

Romanos plus adeptos iuris ſcientia, quàm armorum gloria. 106.b

S

Sabaudiæ ducatus deferri dicitur fœminis deficientibus omnibus agnatis tam deſcendentibus, quàm ex latere. 73.a

Saxoniæ ducatus feudum maſculum. 70.b

Scotiæ regnum principiò electiuum ſecundi generis 29.a poſtea legitimum. 40. a & 53. a in eo fœminæ ſuccedere poſſunt. 61.a

Septentrionalia regna electiua. 25.a

Senatus Romanus cur cogere Conſulem non poterat, vt Dictatorem diceret. 113.b

Senatûs Romani poteſtas Regum temporibus. 3.a

Senatûs Romani poteſtas exactis Regibus. ibidem

Senatûs Romani poteſtas tranſlato in Populum imperio. 112.a

Senatûs Romani poteſtas Imperatorum temporibus. 112 b & 142.b

Siciliæ Reges non habent ius nominationis in bene-

ficijs. 15.b
Siciliæ antiquum regnum & nouum hereditarium fuit 38.a in eo fœminæ ſuccedunt. 58.a
Sidonum antiquum regnum electiuum ſecundi generis. 29.b
Status mixtus quatuor modis conſiderari poteſt. 115.b
In Statu mixto vix contingere, vt non vna reipublicæ ſpecies præmineat. Meliorē eſſe in quo præualet regia. Deteriorem in quò popularis. 115.a, & 117a
Subſtitutio aut ſimplex eſt, aut duplex. 143 b
Subſtitutio aut fit expreſſis formulis, aut compēdio. 149.b
Subſtitutionis duos eſſe caſus. 143.a
Subſtitutionis ſpeciem non eſſe, quæ compendioſa vulgo dicitur 143. b & 148. & 149. nec etiam quæ directa militaris vocatur. 150.b
Subſtitutionis ſpeciem eſſe quæ reciproca dicitur, & quæ quaſi pupillaris ſeu exemplaris 148.b & 149.a
Subſtitutionem expreſſam vulgarem factampoſthumo continere tacitam pupillarem, & pupillarem tacitam vulgarem. 144.b
Subſtitutionem expreſſam pupillarem matrem excludere, etiam eam expreſſam quæ ſub reciproca continetur. 148.a
Subſtiiutionem expreſſam vulgarem, vbi mater eſt in medio continere tacitam pupillarē. 146 b. quæ vtilitas ſit, vt contineat. 147.b
Subſtitutionem tacitam pupillarem matrem non excludere. 147.a
Subſtitutionem à milite factam vltra pubertatem valere in vim fideicommiſſi tantùm. 150 b. & ſeq.
Subſtitutionem à milite factam vltra pubertatem, plurimùm differre ab heredis inſtitutione ab eo facta, ex tempore, & ad tempus. 154.a
Subſtitutionem à pagano factam vltra pubertatem non valere in vim fideicōmiſſi. 154.b
Subſtitutus filio impuberi quando admittatur ex tacita vulgari, & ex expreſſa pupillari. 155.b
In ſucceſſione regnorum ordinem linearum accuratè obſeruandum eſſe. 75.a
Sueciæ regnū electiuum, 25.b

T

TAprobane regnum electiuum. 24.b
Teſtamentum Regis eget

confirmatione conuentus regni in regnis legitimis, non in hereditariis. 55.a

Tranſmiſſionis eſſe duos tantùm caſus. 161.b

Tranſmiſſio iuris deliberandi fit hodie in quoſcunque heredes. 162.a

Tranſmittunt ius deliberandi ſcientes heredes, non ignorantes. ibidem

Turcarum Imperium nec ſucceſſiuum eſſe, nec electiuum. 38.b

Tyrannides antiquæ hereditariæ. 38.a

Tyri regnum hereditarium. 35.b

V

Vandalorũ regnum legitimum, quod deferebatur antiquiori ex genere 41.a. in eo fœminæ non ſuccedebant. 62.b

Venditorem, qui ſciens reticuit tributum, teneri in id quod intereſt, eum verò qui mentitus eſt, teneri quantò minoris. 166. & 167.

FINIS.

ERRATA QVAEDAM.

Fol. 6. pag. a. lin. 15. notatus. f. 10. a. l. 16. Noſſe. 11. a. l. 12. Quæ. 21. a. l. 13. deferuntur. 22. a. ἐκλείπωσιν δὲ. 23. a. l. 15. Byzantiũ 24. a. l. 4. τεισενναλίῳ. l. 8. συνειλεγμένοις. l. 17. exempla in Romano. 25. b l. 6. iudicio & ſuffragijs. 26. a. l. 14. indicaſſe. 28. a. l. 13. Erici VI. 29. b. l. 3. Franci Reges. 33. b. l. 15. Europum. 34 b. l. 6. adeo. 37. a. l. 4. coram ſe. 48. a. l. 8. contenderem. 55. b. l. 12. Robertus Bruſsius. 78. b. l. 5. ſi nummos. 80. b. l. 2. nolit. 85. a. l. 16. repetitio. 86. b. l. 2. mouit. 100. b. l. 6. indicijs. 122. a. l. 5. τὸν θάνατον. ibid. l. 14. καταψηφισμένους. 141. a. l. 5. dominis. 155. a l. 7. ea. 167. b. l. 8. legendum, competit actio ex empto. 157. a. l. 13. dele literam (l.) 166. b. l. 16. auocat.

Extraict du Priuilege.

PAR grace & priuilege du Roy il eſt permis à Claude de Monſtr'œil marchant Libraire demeurant à Paris d'imprimer ou faire imprimer, & expoſer en vẽte vn liure intitulé, *Vincentij Cabotij Toloſatis in Academia Aurelianẽſi Anteceſſoris, Variarum Iuris publici, & priuati*, *Diſputationum, Libri duo.* Et ſont faictes deffences à tous Libraires & Imprimeurs, d'imprimer, ou faire imprimer, vendre ny diſtribuer ledit liure d'autre impreſſion que de celle dudit Monſtr'œil, & ce iuſques au temps & terme de ſix ans finis & accomplis, ſur peine de confiſcation deſdits liures, par eux imprimez ou vendus, & de trante eſcus d'amande. Voulant en outre que mettant au commencement où à la fin de chacun deſdits liures l'extraict dudict priuilege il ſoit tenu pour ſignifié & venu à la cognoiſſance de tous, comme plus amplement eſt declaré audit priuilege. Donné à Paris le 17. iour de Septembre. 1597.

PAR LE CONSEIL

DE LAVETZ.